

IV. НѢЧТО ЗАМѢЧАТЕЛЬНѢЙШЕЕ ИЗЪ ЕСТЕСТВЕННОЙ ИСТОРИИ.

1. О шѣлахъ земныхъ.

Corpora, quae in orbe terrarum conspiciuntur vel tangimus, aut sunt plantae, aut animalia, aut neutrum.

Tertii generis corpora aut fluida sunt aut solida.

Fluidorum praecipua sunt aether, aër, aqua.

Solida, quae dicuntur fossilia, vel cremabilia sunt, vel salia, vel terrae & lapidum genera, vel metalla.

Ad fossilia, quae ignem & flammam concipiunt, pertinet sulphur.

Terrae plura sunt genera: e. g. argillosa, calce mixta, item arena.

Lapides alii vitro similes sunt, quorum qui duritie, pondere, & pelluciditate ceteros vincunt, gemmae dicuntur, alii argillacei, quo pertinet rubrica. alii calce mixti, aut gypso, aut sale, aut ex pluribus terrae generibus compositi.

Metalla vel nobilia sunt vel ignobilia. Nobilia sunt aurum & argentum; ignobilia cuprum, ferrum, stannum & plumbum. Sunt etiam alia, quae dicuntur quasi metalla, quae nec mallei vi extendi se patiuntur, nec ignis vim sustinent, sed ab eo dissipantur, ut argentum vivum.

Plantarum materia aut lapidosa est, aut cornea, aut lignosa, aut straminea, aut quasi coriacea, aut pilosa, aut herbosa, aut viscida. Partes plantarum praecipuae sunt radix, truncus et rami, folia, gemmae, flores et fructus.

2. О царствѣ живопныхъ вообще.

1. Omnia animalia vita et sensu fruuntur, locumque permutant. Horum illa, quae quatuor pedibus incedunt et pelle ac pilis tecta sunt, quadrupedum nomine insigniuntur. Hinc refer vaccam, equum, ovem, canem, et innumera alia.

Vivos haec animalia foetus pariunt, lacte materno nutriendos, donec sibi ipsi cibum parare possint. Horum ora dentibus armata sunt.

illa 2. Quae binis tantum incedunt pedibus, & plumis sunt obducta alisque, quibus per aërem feruntur, instructa aves appellamus. Tales sunt aquila, ciconia, multaeque aliae. Hae pariunt ova, e quibus pulli prodeunt. Rostris praeterea ad cibum capiendum sunt instructae.

3. Piscibus pro pedibus datae sunt pinnae, quarum beneficio in aquis natant; squamis sunt obducti, ovula pariunt, ex quibus pisciculi exclusi statim undas permeant, et alimenta sibi idonea inveniunt. Extra aquam pisces cito expirant.

am *deus* 4. Amphibia et in aquis et in terra vivunt. Horum alia quatuor pedibus ad eundem aptis et ad natandum utuntur, ut rana, lacerta, testudo. Alia vero pedibus omnino carent, ideoque serpunt, ut angues. Horum plurima etiam ovula ponunt, ex quibus foetus prodeunt.

vesti 5. Insecta sunt animalcula, dura et plerumque fragili vestita cute. Maxima eorum pars pluribus quam quatuor pedibus et praeterea alis ad volandum est praedita. Oriuntur ex ovulis, unde saepissime vermiculi primo exeunt, qui deinde in perfectiora mutati insecta, formas papilionum, cicadarum, miscalumque induunt.

6. Vermium corpus molle est, pedibusque destitutum. Se ipsos eundo contrahunt, rursusque extendunt, ut lumbricus. Aliis domicilio est dura testa, ut cochleis conchisque. Aliorum vero corpus nullo tegumento est instructum. Omnes autem supra terram aut in aqua tardo reptant gradu.

Praeter memoratas bestiolas insignis talium superest multitudo, quae aciem oculorum plane effugiunt.

3. Многоразличность живопныхъ.

Animantium in orbe terrarum magna varietas est. Terrenae sunt aliae, partim aquatiles, aliae in utraque sede viuentes. Aliae sunt quadrupedes, aliae bipedes, aliae multipedes, aliae apodes. Omnibus certus motus est; vel enim ambulant et gradiuntur, vel saliant, vel currunt, vel volant, vel natant, vel serpunt. Aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae corio et pilo, aliae setis, aliae spinis, aliae cortice integuntur, aliae aspera cute, aliae molli: pluma alias, alias squama videmus obductas; aliae cornibus armatae sunt, aliae habent pennas, quibus effugiunt. Cibum partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguum tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. Aliae sugunt, aliae carpunt, aliae vorant, aliae mandunt. Atque etiam aliarum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant; quae autem altiores sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues, ut cameli, ut struthiocameli, adjuvantur proceritate collorum: et maximum animalium terrestrium elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habet ad pastum, proboscide utitur vice manus. At bestiis, quae alius generis bestiis vescuntur, aut vires datae sunt, aut celeritas; data est quibusdam etiam machinatio quaedam atque solertia, ut in araneolis; aliae quasi rete texunt, ut, si quid inhaeserit conficiant, aliae autem observant, et si quid incidit, arripiunt idque consumunt.

4. О чепвероногихъ звѣряхъ вообще.

1. Plurima quadrupedia animalia vivos pullos pariunt. Pauca sunt, quae ova ponunt, e quibus palli vel tepore matris incubantis vel solis calore excluduntur. Ovipara haec quadrupedia amphibiiis annumerantur, eorumque alia pedes habent brevissimos, ita ut lentissime ambulent, quales sunt

testudines; alia pedes habent longiores et celerius ambulant, e quo genere sunt lacertae; alia pedes habent pro reliqua corporis mensura longissimos, et posteriores anterioribus longiores, quo fit ut salire possint, cujus generis sunt ranae.

2. In omnibus quadrupedibus, quae vivos pullos pariunt, similis est structura partium et viscerum, quibus ad vitam sustentandam utuntur.

3. Plurima quadrupedia dentes habent pro varietate ciborum, quibus aluntur, diversos. E. c. carnivora acutos habent dentes, quibus praedam discerpere possunt. Cibos deglutunt in ventriculum, qui eos concoquit. Inde in visceribus chylus conficitur, qui in venas transit, adeoque cum sanguine commistus, nutriendo corpori inservit. Retrimenta cibi per alvum ejiciuntur.

4. Quadrupedia pro varia corporis forma variis armis instructa sunt, quibus se suosque tueri possint. Boves cornibus feriunt, equi calcibus pedum posteriorum. Elephantes rostro pugnat, quod et manus ejus dicitur, ac dentibus duobus longis prominentibus. Rostro prosternit hostem, dentibus configit, ac pedibus conterit. Quae vero mobiles ungues habent, ut leones, tigres, feles, his unguibus utuntur ad comprehendendam praedam; captam unguibus dilaniant, ac dentibus discerpunt. Canes, vulpes, lupi et alia ejusdem generis animalia dentibus mordent, hisque solis fere ad hostes propulsandos, aut ad praedam capiendam utuntur. Simiae dentibus et unguibus pugnant. Pedibus etiam anterioribus, quibus pro manibus utuntur, lapides aliaque tela in hostes jaciunt. Quae corpora habent aculeis praedita, ea in globi seu pilae formam se contrahunt, ne laedi possint.

5. Nullum est quadrupes, quod non aliquam homini utilitatem praebeat. Tigrides, Lynces, Ursi, Alces, Castor, Vulpes aliaque multa pelles nobis suppeditant. Nonnullis canum speciebus utimur ad persequendos cervos, capreolos, lepores, quibus vescimur. Aliis utimur ad nostram custodiam,

vel oblectationem. Equus, Elephas, Camelus ad sarcinas portandas nati videntur: itemque Taurus, ut subdat collum iugo, Vacca ut lac, Ovis ut lanam suppeditet.

6. Non in omnibus regionibus omnia quadrupedum genera reperiuntur, sed quodvis genus eam potissimum incolit terrae partem, quae alimenta, quibus illud utitur, abundantiora aut meliora praebet. Sic Simiae, Elephantes, Rhinocerotes calidas incolunt regiones, Tarandi contra glaciali Laponiae climati destinantur. Cameli arenosa, ferventiaque amant deserta; Boves planitie, caprae praeruptis montibus, equi silvis apprime delectantur, et similis est aliorum indoles.

7. Nullum quadrupedum genus, adeo ferox est, quin vehementer amet prolem suam, eamque defendat. Omnia suo lacte nutriunt prolem, donec stomachus solidiora recipere valeat alimenta. Quamdiu proles est tenera, diligenter eam custodiunt, et si forte periclitatur, omni modo ab insidiis atque vi eam tuentur.

5. О б е з ь я н а.

1. Simiarum genera caudis inter se distinguuntur: aliae enim caudas habent, aliae iis carent. Quae non habent caudas, ea genera hominis figurae simillima sunt. Utrumque tamen genus paene perfectam hominis imitationem continet, facie, naribus, auribus, palpebris, quas solae quadrupedum et in inferiore habent gena. Porro mammas in pectore habent, et brachia, in manibus ungues, digitos, longioremque medium digitum. Pedibus paulum differunt. Sunt enim ut manus praelongi, sed vestigium palmae simile faciunt. Pollex quoque his et articuli ut homini, viscera etiam interiora omnia ad exemplar hominis. Erectae ambulare possunt, posterioribus pedibus nixae; anterioribusque pedibus, ut homines manibus, ad varia ministeria utuntur. Mira iis so-

lertia est. Omnia fere, quae homines agere viderint, imitantur. Visae sunt simiae, quae, quum vidissent aliquem barbam sibi tondentem, arrepto cultro tonsorio jugulum sibi inciderent.

2. Hoc ipso imitandi studio capi etiam solent simiae. Nam venatores eas plerumque hac ratione fallunt. In conspectu earum aqua se perungunt, postea vasculum visco plenum aquae loco reponunt. In quo quum oculos et ora perunxerunt simiae, facile capiuntur. Decipiuntur et alio modo, quum venatorum calceis, dedita opera relictis, sese impediunt.

3. Nullum est animal, quod tam impense amet foetus suos, quam simia; saepius ipso complexu eos necat. In fuga alterum catulum accipit prioribus membris; alterum portat in dorso. Quem recipit in dorsum, minus amat, sed quum urgente necessitate vix potest effugere, illum quem manibus tenet, abjicere cogitur: alter autem minus dilectus, qui dorso insidet, cum matre salvus et incolumis evadit.

4. Caeterum quamquam simiae multis rebus hominibus similes sunt, ratione tamen humana carent. Nunquam loqui discunt, et saepe ita se gerunt, ut bruta esse animalia facile agnoscas. E. c. in America simiae saepe vident homines struem lignorum incendere, et ad ignem, ut calefiant, sedere; tum postquam homines abiisse viderunt, ipsae quoque accedunt ad ignem et calore delectantur, nulli tamen in mentem venit, ligna quaedam afferre, quae ignem nutrant; sed ubi exstinctum viderint ignem, abeunt.

5. Plurima simiarum genera in Asia atque Africa inveniuntur. Silvas incolunt, in iisque sociae vivunt. Aluntur praecipue fructibus ac foliis. Vescuntur etiam frumento, imprimis oryza, milio aliisque frugibus ac oleribus. Amant quaedam avium ova, aliae cochleas atque ostreas. Venatio earum saepe admodum difficilis est. Sauciae quoque saepe manu vel cauda ramis arborum ita inhaerent, ut ne mor-

tuae quidem decidunt. Haud raro etiam in venatorem impetum faciunt, qui, si id fieri potest, periculi vitandi causa in aquam se recipit, quo eum haud insectantur. Capta tamen femella, proles facile capitur, atque mansuescit. Mansuetae variis cibis praeparatis, imprimis etiam sacharo, pulve ac jusculis nutriuntur. Vescuntur sedentes. Escam manibus capiunt, ac discerpunt, orique admovent. Potio illis est aqua: utuntur tamen etiam lacte, cerevisia, vino dulci. Agilis earum in scandendo et saltando velocitas incredibilis est. In di illis vesci etiam solent.

6. Заяцъ.

1. Lepus animal notum et insigni velocitate praeditum, posteriores pedes anterioribus longiores habet; quo fit, ut non solum salire perniciter possit, sed etiam facilius collem ascendat quam descendat. Ceterum lepus timidissimum est animal, insidiasque fuga plerumque evitat. Nullum enim animal est, quod, lepori magnitudine par eum cursu aequet. Urgentibus a tergo canibus aut in montes incredibili volubilitate sursum feruntur, aut in planitie agitati flexuoso cursu insectantem hostem fatigant. Auribus longis praediti sunt, ut imminentes insidias ex longinquo possint sentire. Statim igitur, instante periculo, tanta celeritate continuant cursum, ut saepe fugientes exanimentur. Lepores autem non canes tantum metuant, sed etiam aquilas, a quibus, dum adhuc anniculi sunt, rapiuntur. Velocissimi sunt montani, campestris minus, palustres autem longe tardissimi. At qui locis omnibus oberrant, molesti sunt venatoribus in cursu. Norunt enim itinera compendiaria.

2. Vescuntur leporis beta, herbis, cortice, frugibus. Dormiunt plurimum et patentibus oculis, quoniam palpebrae eorum breviores sunt, quam ut illos commode tegere possint. Pili leporibus rutili sunt, in Alpibus tamen et ad se-

ptentrionem candidi reperiuntur. Hi semper candidi sunt, illi tantum saeviente hieme albescunt, aestate autem redeunte nativum recuperant colorem.

3. Ubivis fere in terra inveniuntur lepores. In incredibili eorum foecunditate Dei curam admirari licet, quae et hominum, qui ipsorum carne delectantur, victui voluit prospicere, et interitum hujus generis animalium impedire. Lepusculi dies viginti maternum lac sugunt: tum sponte matrem deserunt, dispersique victum sibi quaeritant. Nido tamen suo non procul abeunt et habitant.

7. Кроликъ.

Leporum generis sunt cuniculi. Hujus quoque quadrupedis foecunditas magna est. Minor quidem est lepore cuniculus, sed paulo fortior. Quaerit antra sub terra. Mane et vesperi prorepat, atque in vestibulo antri sedens circumspectat. Urgentibus autem canibus confestim penetrat in cavernas, nec extruditur, nisi intromissis viverris, quae generi cuniculorum sunt infestae. Has viverras injiciunt in specus, qui sunt multifores in terra, atque ita cuniculos a viverris ejectos superne capiunt. Leporis atque cuniculi pelles inserviunt vestibus pelliceis, pili pileis conficiendis...

8. Бѣлка, мышь, ласпочка и проч. чешв.

1. Sciuri, glires, mures, sorices, mustelae, aliaeque ejus generis animantes quatuor dentibus incisoribus praeditae sunt, quibus quaecunque offendunt, arrodere solent.

2. Sciuri villosiorem habent caudam. Prioribus pedibus utuntur ut manibus, sedentque ad os illis admoventes cibos. Mira est iis saliendo dexteritas. Nitidum hoc est animal, alacre ac festivum. Habitat in ramis arborum silvestrium; raro in planitiem descendit. Vescitur nucibus, nu-

cleis et pomis. Interdum et aviculam rapit. Colore rutilo est, sed hieme in plaga septentrionali ruborem in canitiem mutat. Nigri rari sunt, sed multo rariores nivei.

3. Glis animal muri simile, colore varium, in dorso canum, subtus album. Ineunte hieme abdit se in cava arborum, et magnam anni partem somno consumens pinguescit. In deliciis mensae apud Romanos erat. Glires genitores suos fessos senecta alunt insigni pietate.

4. Mures vel domestici sunt, vel agrestes. Illi pane, caseo, lardo, butiro et aliis ejusmodi alimentis pascuntur, immo omnibus, quae eis occurrunt et dentibus corrodi possunt. Inimicos habent feles, herinaceos, noctuas. Inveniuntur et candidi mures. Mures agrestes glandibus, nucibus, nucleis pascuntur. Nidulantur sub terra. Agros, sicut talpae effodiunt; radices arborum derodunt; frugibus et arbusculis multum afferunt damni.

4. Mustelae venantur mures non solum minores, sed et majores illos, quos vulgo rattos dicunt; insidiantur etiam pullis gallinaceis, columbis, passeribus. Ova etiam frangere et cupidissime exsorbere solent.

6. Mus montanus festivum est animal. Reperitur praecipue in Alpibus inque Sabaudia. Profundas sub terra cavernas sibi fodit, easque focno et musco obducit. Variis vescitur plantis ac radicibus, lactis est appetentissimus. Hieme obdormiscunt mures hi, inque cavernis jacent quasi mortui, unde redeunte vere procurrant rursus: capti ciculantur, discunt saltare aliasque artes, et edocti a magistris Sabaudiis circumferuntur spectandi.

9. Собака.

1. Ex his quoque animalibus, quae nobiscum degunt, multa sunt cognitu digna: fidelissimum ante omnia homini canis atque equus. Pugnasce adversus latrones canem pro

domino accepimus, confectumque plagis a corpore non recessisse, volucres et feras abigentem. Ab alio in Epyro agnitus est in conventu percussor domini, laniatuque et latratu coactus fateri scelus. Propter bella olim Colophonii itemque Castabalenses cohortes canum habuere: hae primae dimicabant in acie nunquam detrectantes: haec erant fidelissima auxilia, nec stipendiorum indiga. Saepius canis domino mortuo aut interfecto cibum capere noluit, inediaque consumtus est. Accenso regis Lysimachi rogo canis illius iniecit se flammae, similiterque Hieronis regis.

2. Soli canes semper dominum novere: et ignotum quoque dominum, si repente veniat, intelligunt, gaudiumque multis modis declarant advenienti. Soli nomina sua, soli vocem domesticam agnoscunt. Itinera quamvis longa meminerere. Nec ulli praeter hominem memoria major.

3. Certum est, canes juxta Nilum annem currentes lambere, ne crocodilorum aviditati occasionem praebeant. Indiam petenti Alexandro Magno rex Albaniae dono dederat canem inusitatae magnitudinis; cujus specie delectatus Alexander jussit ursos, mox apros, et deinde damas emitti, sed immobilis semper jacuit canis. Hac segnitie tanti corporis offensus imperator generosi spiritus eum interimi jussit. Nunciavit hoc fama regi Albaniae. Itaque alterum mittens addidit mandatum, ne in parvis eum experiri vellet, sed in leone elephantove. Duos sibi fuisse: hoc interemto praeterea nullum fore. Non distulit Alexander, leonemque fractum protinus vidit. Postea elephantum jussit induci, haud alio magis spectaculo laetatus. Horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primum latratu intonuit: mox increvit animus, assultabat contra belluam exsurgens hinc et illinc, artificii dimicatione infestans atque evitans, donec afflixit, ad casum ejus tellure concussa.

4. Bis plerumque uno anno copiosam prolem eniuntur canes. Gignunt autem catulos coecos, et quo tardiore

aluntur lacte, eo tardiorē visum accipiunt, nunquam tamen ultra vicesimum primum diem; nec ante septimum. Rabies canum diebus canicularibus homini pestifera est. Solet ex morsu canis rabiosi atque timor nasci, miserrimum genus morbi, in quo simul aeger et siti et aquae metu cruciatur: hoc morbo oppressis exigua spes est. Sed unicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam non ante ei provisam projicere.

5. Vivunt canes plerumque ultra quindecim annos, nisi rabie correpti aut alio casu oppressi pereant. Rabies si canem invaserit ne domino quidem parcit; quare extemplo ejusmodi canis rabidus interficiendus est.

6. Canum permulta sunt genera. Utilissimi tamen venatici, pastores seu pecuarii, et villatici. Villae custos eligendus est amplissimi corporis, vasti latratus, ut prius auditu maleficum, deinde etiam conspectu terreat, et tamen nonnunquam, ne visus quidem, horribili fremitu suo fuget insidiantem. Sit autem coloris unius, isque magis eligatur albus in pastorali, niger in villatico; nam varius in neutro est laudabilis. Pastor album probat, quoniam est ferae dissimilis, magnoque opus interdum discrimine est, in propulsandis lupis sub obscuro mane vel etiam crepusculo, ne, si non sit albo colore conspicuus, pro lupo canem feriat. Villaticus, qui hominum maleficiis opponitur, sive luce clara fur advenerit, terribilior, si niger est, conspicitur; sive nocte, ne conspicitur quidem, propter umbrae similitudinem; quamobrem tectus tenebris canis tutiorem accessum habet ad insidiantem. Mores canis villatici sint neque mitissimi neque rursus truces atque crudeles. Nam illi furem quoque adulantur, hi etiam domesticos invadunt. Satis est severos esse nec blandos, ut nonnunquam etiam conservos iratus intueantur, semper excandescant in externos. Maxime autem debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei. Nec multum refert, an villatici corporibus graves, et parum veloces

sint; plus enim cominus quam eminus facere debent. Pecuarius canis neque tam strigosus aut pernix debet esse, quam qui damas cervosque et velocissima sectatur animalia, nec tam obesus aut gravis, quam villae horreique custos: sed et robustus nihilominus, et aliquatenus promptus ac strenuus, quoniam et ad rixam et ad pugnam nec minus ad cursum comparatur, quum et lupi repellere insidias, et raptorem ferum consequi fugientem, praedam excutere atque auferre debeat.

7: Ceterum multae canis virtutes sunt. Ejus fidei si villa aut domus creditur, quis dominum clarius aut tanta vociferatione bestiam vel furem praedicat, quam iste latratu? quis famulus amantior domini? quis excubitor inveniri potest vigilantior? quis denique ultor aut vindex constantior? Quare imprimis hoc animal mercari tuerique debet agricola, quod et villam et fructus, familiamque et pecora custodit. Ejus autem parandi triplex ratio est. Namque unum genus adversus hominum insidias eligitur, et id villam, quaeque juncta sunt villae custodit. At alterum propellendis injuriis hominum ac ferarum; et id observat domi stabulum, foris pecora pascentia. Tertium venandi gratia comparatur. In venatu enim praecipua cernitur solertia et sagacitas canis.

8. Nominibus non longissimis nominandi sunt canes, quo celerius quisque vocatus exaudiat, nec tamen brevioribus, quam quae duabus syllabis enuntientur, sicut latinum est ferox, et celer.

IO. В О Л К Ъ.

1. Lupus cani forma simillimus est, nisi quod cane villatico latius habet caput, brevius os, minores oculos, aures breviores et erectas. Attamen acerrimae inter lupo et canem sunt inimicitiae. Bestia haec est rapacissima, crude-

lissima, insatiabilis, sed amans sobolis suae. Severiores sunt, qui in frigida nascuntur plaga, quam qui in Africa aut in Ægypto deprehenduntur. Magnum lupo robur est, ita ut ovem faucibus comprehensam auferat, tanta interim celeritate currens, ut eum pastores consequi non possint. Visu, auditu, praesertim autem odoratu multum valet, Naribus enim adversus ventum porrectis e longinquo vivorum corporum odorem aut cadaverum foetorem sentit.

2. Turmatim saepe sanguinolentus luporum exercitus per silvas graditur. Tum stimulante fame in miseras pecudes, longe custode fugato, impetum faciunt, balantiumque ovium sanguine rabiem exsaturant. Raro unus clausa septa adoritur, sed duo plerumque; unus accedit et irruptionem minatur: sed dum gregis custos, canis, imminet, terga vertit: tum alter, qui in insidiis latebat, custode remoto omnia tuta videns, irruit in gregem atque misere saevit. Si vero spes ejus fallitur, et pastor fortiter resistit, ad fugitivum socium properat, canemque insectantem et a domino desertum cum ipso devorat.

3. Si lupo pecora rapere non potest, cadaveribus pascitur. Humana carne praecipue delectari fertur. Equos a fronte, tauros, a quorum cornibus sibi metuunt, a tergo adoriuntur. Ex quo intelligitur, bestiis quoque sua esse stragemata. Ignem refugiant. Praeter pelles lupinas nullus est hominibus ex hac bestia fructus; nisi quod dentibus lupinis artifices, similesque opifices utuntur ad laevigandum. Carnem lupinam cetera etiam animalia aversantur. E quibusdam terrae regionibus hoc animalium genus prorsus extirpatum est, quod praecipue in Britannia factum.

II. Л и с и ц а.

Vulpes quoque omnium bestiarum callidissima, admodum similis est cani, quem etiam latratu imitatur. Pellis

tamen mollioribus longioribusque pilis est munita, flaventibus praeterea. Gracilior est lupo, caudamque multo villosiorem et longiorem habet. Quod lupus vi et impetu, vulpes plerumque astu et calliditate assequitur. Cavernas aut ipsa sibi parat, aut melius cavernas occupat, melibus vel vi expulsis vel merdae suae odore fugatis. Pascitur vulpes carne gallinarum, columbarum, perdicum, lepusculorum: item ovis, melle, caseo, pomis; nec fastidit mures, serpentes, lacertos, cancos. Uvas etiam vehementer amat, easque saltu petit. Ad lustrum plures uno aditus struit, ut et canes fallat, et facile exitum inveniat. Reperiuntur etiam, praecipue in terris septentrionalibus, vulpes albae; rarissimae sunt nigrae, quarum pelles maximo pretio venduntur.

12. МѢДВѢДЬ.

Ursus acutissime cernit, audit et olfacit: informis est statura; cruribus carnosus, colore pilorum aut nigro, aut fusco, aut albo. Pedibus anterioribus ferit et pugnat; posterioribus insistere, atque ita erectus ambulare potest. Itaque ursi mansuefacti etiam saltare discunt. Scandunt arbores, ut melle apium fruantur, cujus avidissimi sunt. Vescuntur carnibus ferarum, equorum, ovium: quaedam genera praecipue glande, melle et lacte pascuntur. Caput habent invalidum. Quare, si urgente necessitate ex arbore aut rupe praecipitare se volunt, caput anterioribus pedibus operiunt. Hominem non facile adoriuntur nisi lacessantur. Habitant in silvis frigidarum regionum. Amant solitudinem, societatemque fugiunt. Ursus albus, qui et maritimus vocatur, quoniam in littore maris glacialis habitat, major atque gracilior est urso terrestri, qui raro albus est. Album illud ursorum genus, quod nonnisi in illis terrae partibus invenitur, quae maxime septentrionem spectant, et natare et urinari callet, pascitur piscibus, phocis, balaenis, et homines quoque adoritur.

13. К р о т ъ.

Talpa non caret visu, ut vulgo putatur, attamen oculos habet minutissimos, et admodum hebetes; tactum vero et auditum longe acerrimum. Plerumque defossa degit sub terra, maximeque hortos et prata infestat, quae cuniculis perforare solet. Attamen utilis etiam quadam ratione est, quum hortorum terram emolliat, et insectis atque lumbricis pascatur. Externis auriculis prorsus caret. Pellem habet tenerrimam atque mollissimam. Praeter pluviam et hominem nullum fere inimicum novit.

14. Лешучая мышь.

Ex eo genere quadrupedum, quorum pedes membranis involuti sunt, ut volatui fiant idonei, est vespertilio. Animal hoc nec muribus plane, nec volucris annumerari potest, sed medium est inter utramque naturam. A volucris eo differt, quod vivos parit pullos, quod dentes et pilos habet et quod anterioribus pedibus non ire solum et consistere, sed etiam expansis eorum membranis volare potest. Lucem fugiunt vespertiliones, et noctu tantum evolant. Parum tamen commode volant, magis librantes sese in aëre quam volantes. Pascuntur muscis, culicibus, scarabeis, variisque insectis: delectantur enim lardo, sebo candelarum, et carnibus; quamobrem saepe in rusticorum fumaria desuper devolant.

15. К о ш к а.

Feles domesticae satis notae sunt. Blandum quidem est animal hoc, sed simul perfidum et insidiosum, nec illis quamvis mansuetis fidendum. Munditiae studiosa est felis. Mures captat et astu et vi. Praeter domesticas feles sunt

etiam ferae, cavarum, quercuum et silvarum incolae. Hae venantur lepusculos, aves, mures, derepente ex insidiis magno cum impetu in praedam insilientes. Non multum tamen differt felis domestica a fera, immo ipsa quoque libertatem forte nacta, facile in feritatem degenerat. Oculi felium in tenebris fulgent radiantque, et acriter noctu cernunt.

16. Т и г р ъ.

Tigris bellua est saevissima, indomita, et perniciosissima. Specie simillima est feli, statura asinum fere aequat. In calidissimis Asiae regionibus nascitur, nec adeo frequens est. Omnium animalium sanguinem sitit, omnibusque insidiatur callidissime. Unguibus robustis et rapacibus armata est. Pellem habet maculosam vel potius virgatam, quae magni aestimatur. Saliendi et scandendi magna ei solertia est, ita ut etiam in arbores enitatur. Maribus non est cura sobolis; feminis vero maxima. Quare saevissimae sunt, foetu erepto. Adoritur tigris sine discrimine homines, leones, aliasque bestias, elephanto succumbit. Multum abest a generositate leonis, rarissime mansuescit.

17. Л е о п а р д ъ.

Leopardus in Africa praecipue nascitur. Pellis ejus flavens plurimisque maculis minoribus distincta, pulcherrima est. Tigri nec robore, nec rapacitate cedit, rarius tamen quam illa homines adoritur.

18. П а р д ъ.

Pardus quoque vel Panthera Africam incolit. Major est leopardo, sed huic indole vitaeque ratione similis. Pellis ejus majoribus, passimque confluentibus maculis picta

minusque pulcra est, quam leopardi pellis. Statura vitulum aequat. Ut tigris in Asia, sic in Africa pardus totas vastare solet regiones. Eadem illi saevitia, idem robur. Attamen multo rarius, quam tigris homines adoritur, nec nisi necessitate fameque coactus. Minus quoque eum timent Æthiopes, quam leopardum.

19. Р Ы С Ь.

Lynx omnium quadrupedum acerrime cernit. Habitat in locis desertis et montanis. Feli admodum similis est, differt tamen ab ea non solum statura, sed etiam cauda breviate. Pellis ejus est rubicunda et pulcris maculis distincta. In conspectam ex insidiis bestiam etiam majorem ipsa, summa celeritate irruit, unguibusque tenacissimeprehendit, nec dimittit; donec exspiraverit. Sanguine praecipue et cerebro animalium delectatur.

Omnes hae ferae, tigris, leopardus, panthera, lynx, leo quoque felium generi annumerantur. Sed praeter lyncem, quae ipsa quoque rarius invenitur, in Europa non nascuntur.

20. Л е в ъ.

1. Leo bestiarum omnium fortissima est. Speciem habet decoram, vultum trucem, saevum et genorosum. Incessus est superbus, vox horribilis, impetus violentus ac furens, color fulvus, caput magnum ac jubatum; pilis longioribus circum tempora, scapulas, armos et pectus dependentibus. Leacna tamen jubam non habet. Pars posterior corporis pilis brevissimis tegitur, ut cum anteriore parte comparata fere nuda esse videatur. Cauda leonis est longa et robusta.

2. In leone animi index cauda est, sicut in equo aures. Immota ergo cauda placidus est, clemens, blandientique similis, quod rarum est; crebrior enim in eo iracundia:

ejus in principio terram verberat; incremento terga flagellat. Vis summa in pectore; firmitas in capite praecipua.

3. Leonum generositas in periculis maxime deprehenditur. Tela spernens diu se terrore solo tuetur. Quamlibet magna canum et venantium urgente vi, contemtim restitansque cedit in campis, et ubi spectari potest; idem ubi virgulta silvasque penetravit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente turpitudine loco. Dum sequitur feram, insilit saltu, quo in fuga non utitur. Vulneratus percussorem nosse et in quantalibet multitudine appetere dicitur; eam vero, qui telum quidem miserit, sed tamen non vulneraverit, correptum rotatumque sternere, nec vulnerare. Quum leaena foeta pro catulis dimicat, oculorum aciem fertur defigere in terram, ne venabula expavescat. Ceterum dolis carent et suspicione: nec limis intuetur oculis, adspicique simili modo nolunt. Leo satiat, nec lacescit, plane innoxius est: nec nisi fame coactus hominem invadit. Ignem fugit, non vero, ut olim creditum est, gallorum gallinaceorum cantum.

4. Leo famelicus omnia, quae occurrunt, animalia adoritur. Sed quum eum omnia reformident et fugiant, saepe ex insidiis et latebris impetum facere cogitur. Plerumque in loco arbustis consito pronus cubat, indeque in praetereuntes feras adeo violenter prosilit, ut eas plerumque uno saltu comprehendat. In silvis et desertis dorcades potissimum et simias venatur. Robustis dentibus facile ossa confringit, eaque una cum carnibus deglutit.

5. Multi et olim et nostra aetate leones mansuefacti sunt. M. Antonius jugo subdidit eos, primusque Romae ad currum junxit. Nec tamen unquam leoni, etsi mitissimus videatur, plane fidendum. Simulac enim sanguinem viderint, illico in rabiem vertuntur. Lingvam autem habent aculeatam limaeque similem. Hac si quem lambunt, primum cutis abscedit, deinde sanguis etiam sequitur.

6. Leones in Asia et Africa reperiuntur. Fortiores tamen Africae leones Asiaticis sunt, et frequentiores.

21. Е Ж Ъ.

Herinaceus animal est aculeis horridum. Vescitur praecipue muribus: sed praeparat etiam hiemi cibos, ac volutatus supra jacentia poma, affixa spinis portat in cavas arbores. Ubi sensit venantem, contracto ore pedibusque ac parte omni inferiore, qua raram et innocuam habet lanuginem, convolvitur in formam pilae, ne quid comprehendi possit praeter aculeos.

22. Л О И А Д Ъ.

1. Omnium animalium, quae homines mansuefecerunt, sine dubio equus generosissimus et utilissimus est, quum et ad rem militarem idonei sint equi, et ad vecturam, et ad cursuram, et ad agrum colendum adhibeantur.

2. Feri olim omnes equi fuerunt, et adhuc sunt in quibusdam orbis terrarum partibus. Hi gregatim campis inerant, et quia frugibus, non carnibus vescuntur, cum nullo bestiarum genere bellum gerunt nisi lacessiti. Lacessiti autem, hostes aut spernunt aut fugant, aut occidunt. Irruente fera in gyrum eunt, capitibus introversus directis, calcibus autem hosti oppositis; atque ita oculis per intervalla pedum contuentes advenientem feram tam vehementer calcibus impetunt, ut facile periculum propulsent.

3. Postquam vero hominum juga ac frena receperunt equi, ad varia ministeria condocfacti, tam multiplicem domini usum praebent, ut si subito ex rerum natura tollerentur, ingens rei familiaris detrimentum, fortunarumque et commoditatum summam imminutionem passuri essent mortales.

4. Equi Arabici, Africani, Hispanici, Neapolitani, et Britannici, qui in primis velocitate excellent, ad equitandum maxime idonei sunt. Frisia et Dania praestantissimos equos rhedarios producant. Gentes nonnullae et carne et lacte equorum vescuntur. Pilis et corio multi utuntur artifices.

23. О с е л ъ.

Asinus nec forma nec ardore cum equo comparandus est, nec tamen contemptum meretur, quo vulgo affici solet. Est enim utilissimus. Tutius et lenius incedit quam equus, et gravissima onera portat. Asini vivunt vili pabulo, ut foliis, carduis, stramine. Tolerantissimi sunt plagarum et penuriae. Laborem et famem patiuntur. Frigoris tamen impatientes sunt. Hinc ex frigidissimis terrae partibus exsulant. Raro in morbum incidunt. Vivunt annos triginta et amplius. Est etiam genus silvestrium asinorum, quos onagros vocant, quorum pulcherrimi in Æthiopia reperiuntur. Tanta hi sunt celeritatis, ut eos nemo cursu assequi possit; quare rarissime cicurantur. Olim Ægyptus, nunc Italia praestantissimos alit asinos. Lac asinum in morbis nonnullis eximiam suggerit medicinam; ex pelle membranae conficiuntur.

24. М у л ъ.

Ex Asino et equa nascitur mulus, matri similior quam patri. Utilissimus est ferendis et trahendis oneribus. Asinos celeritate superat, et ipse quoque lenius et tutius incedit equo, maxime per praerupta montium.

25. В е р б л ю д ъ.

1. Camelus altitudine corporis, proceritate colli et tubere in dorso insignis, utilissimum orientis gentibus animal est. Jumentorum ministeriis fruguntur cameli, et gravissima

onera portant. Duo eorum genera sunt, alterum uno, alterum duobus in dorso tuberibus instructum, quod genus rarius est atque velocius. Habent praeterea et in pectore et in pedibus tubera minora, quibus incumbant. Defatigatus enim camelus vires recipit in pectus se inclinans. Celeriter progreditur, brevique tempore longum absolvit iter. Mansuetudo quaedam a natura ipsa ei videtur insita, attamen interdum et rabiem sentit, ferosque mores induit, quo tempore in ipsum rectorem saevit; musica, cantu, tibilsque delectari camelum dicunt. Quare Arabes (hi enim inprimis eo utuntur) aures ejus, dum peregre proficiscuntur, cantu demulcent.

2. Summa camelorum utilitas est in longis itineribus per Asiae Africaeque arenosa deserta, non solum, quod famem diu tolerant, et sicut asini, vili pabulo pascuntur, foliis carduis, atque virgultis spinosis, quorum ubivis magna copia est, sed sitim etiam quadriduo, immo ad novem usque dies tolerant, implenturque, quum bibendi occasio est, et in praeteritum, et in futurum, ingentem aquae copiam deglutientes, cujus partem servant in quibusdam ventriculi cellis, quare interdum iter facientes, urgente necessitate, camelum mactant, ut aqua illa sitim restinguant. Ex terris borealibus exsulant cameli. Odium adversus equos gerunt naturale. Verno tempore depiles fere fiunt; pili, qui exciderunt texturae, varii generis inserviunt. Qui tamen vulgo dicuntur pili camelini non a camelo proficiscuntur, sed a capra Angorica.

26. С л о н ъ.

1. Maximum inter animalia terrestria est elephas proximumque humanis sensibus. Est enim illis quidam intellectus sermonis patrii, et imperiorum obedientia, officiorumque, quae didicere, memoria, amoris et gloriae voluptas: immo vero (quae etiam in homine rara) probitas, prudentia, acqui-

tas. Quod ad docilitatem attinet, regem adorant, genua submitunt, coronas porrigunt. Minores Indis etiam olim arabant. Romae currum Pompeji Magni triumphantis iuncti traxere. Quin etiam docebantur Romae elephanti per funes incedere; lecticis etiam ferebant quaterni singulos; eorumque unus tardioris ingenii in accipiendis, quae tradebantur saepius castigatus verberibus, eadem illa meditans noctu repertus est.

2. Elephanti gregatim semper ingrediuntur. Annem transitori minimos praemittunt, ne majorum ingressu crescat gurgitis altitudo.

3. Adultus elephas ad quindecim pedes altus est. Vastum ejus corpus rudis et incondita moles esse videtur et miranda sane in tanta mole docilitas et agilitas. Crasso in capite oculos habet minutos suillis similes, aures magnas, in utraque oris parte quatuor dentes, quibus cibos mandit, duo autem alii horrendae magnitudinis et ingentis ponderis ante os longe prominent cornibus similes. Hos interdum dejicit, idque ebur est. Propterea dentibus hic magnum pretium est.

4. Hos inter dentes proboscis exstat longissima, maximeque flexilis. Nihil magis mirandum in elephanto, quam haec proboscis, qua spirat, olfacit, aquam haurit, pabulum arripit: orique inserit, qua denique pugnat, et ut manu, ad multa utitur ministeria. Nodos ea solvit, nummos e terra tollit, flosculos decerpit. Proboscide sauciata aut detruncata, actum de eo est. Pedes truncis ingentibus similes, articulis tamen non carent.

5. Rugosum et durissimum dorso tergus, adeo ut nec gladio, nec telo facile vulnerari possit, ventri molle; setarum aut villorum nullum habet tegumentum; nihilominus muscarum aliorumque insectorum punctiones sentit. Color plerumque canus; rutili elephantes rari, at albis nihil rarius Cerebrum pro corporis mole exiguum. Excellenti memoria

gaudent. Multo eis opus est cibo; singuli consumunt, quantum triginta satis esset hominibus. Insigne vero est providentiae divinae documentum, quod tantae molis animal carnis non vescitur, nec vivit ex praeda, sed contentum est herbis, quarum infinita est copia. Vescitur praeterea arborum foliis, frondibus, oryza, gramine.

6. Gaudent annibus maxime, et circa fluvios vagantur, quum alioquin nare propter magnitudinem corporis non soleant. Iidem frigoris impatientes sunt; quo fit, ut qui in Europam adducuntur, non diu vivant, quum in patria duce-
nis annis et diutius vivere dicantur. Nascuntur autem in media Africa inque Asia australi. Majores tamen et fortiores Asiatici sunt. Indicum Afri timent, nec contueri audent. Variis modis capiuntur, maxime tamen foveis obtectis virgulto. Domantur fame et verberibus, capti paulatim adeo mansuescunt, ut cibum e manu rectoris capiant, venientem etiam proboscide complectantur. Insidias minoribus animalibus non struunt, sed patiuntur ea secure juxta sedem suam versari. Nemini, nisi lacessiti, nocent. Murem metuunt ne in proboscidem irrepant.

7. Olim elephantis ad bellum utebantur; turres cum militibus tergo imponebant, aut latera falcibus armabant, inque hostium exercitum compellebant. Tum saepe prosternebant armatos; at vulnerati et territi saepe retro cedebant, haud minorem perniciem suis partibus afferentes. Pulveris nitrati inventio usum eorum bellicum magis etiam sustulit. Ignem enim refugiunt. Attamen magna eorum utilitas est in gravissimis ponderibus gestandis. Incedunt celeriter atque tutissime. Homini obvio aut cedunt, aut rostro eum leniter removent. Nec habena, nec freno reguntur, sed unco ferreo, quo rector, cervici insidens eos pungit, et quocumque eos ire voluerit, impellit. Magnam etiam ebore utilitatem afferunt, quo multi artifices aegre carerent. Nec tamen semper verum ebur est, quicquid sub hoc nomine venditur. Nam

et belluarum quarundam marinarum aliorumque animalium dentes eodem modo tractantur. Caro etiam non mali saporis est.

27. Кабанъ.

Aper a porco parum differt. Terram ut ille rostro fodit, in paludibus membra refrigerat ac dorsum arboribus affricat. Lustrum ei est in densis fruticetis, quod mutare solet, quoties alimenta ibi deficiunt. Hinc per campos et prata noctu vagatur, et frugibus maxime nocet. Difficulter ex lastro pellitur. Expulsus autem, maximo impetu virgulta densissima perrumpit, venatores aggreditur, illisque dentibus acutis et falcatis vulnera lethalia infligit.

28. Рогатой скотъ.

Pauca sunt animalia, quae aequè magnum ac boves homini usum praesent. Et currui et aratro junguntur; oneribus tamen gestandis non sunt idonei. Ubi eorum opera satis usi sumus, saginantur et altilis mactantur. Laudantur imprimis Hungariae Podoliaeque boves altilis. Hungari et Poloni quotannis multa boum millia ad externos agunt. Nulla hujus animalis pars est, ex qua non aliquam utilitatem homo capiat. Vescimur ejus carne et lacte; ex lacte conficimus butyrum et caseum, ex pelle coria atque membranas, ex sevo candelas et saponem, ex cornibus pectines, pyxides, laternas multaque alia: pilis muniuntur ephippia et sedilia. Non quibusdam in locis boves feri, cujus generis sunt bubalus et urus. Multa hominum millia solis boum armentis vitam sustentant, nec dubium est, quin terrae his abundantes felices sint praedicandae.

29. Олень.

Cervum omnia commendant; excelsum caput ramosis ornatum cornibus, crurum tenuitas, ipsaque illius timiditas.

Matris magna in fovendo foetui cura est. Ut primum adoleſcunt, lateri matris affixi, eandem et nutricem et magistram habent, tutissima fugae loca edocentem, item herbarum, quibus pascantur, natale solum perite monstrantem. Longa cervorum vita, qui vel centum annos vivere olim putabantur, fabula est. Raro ultra triginta annos vivunt. Facile mansuescunt, si teneri ex saltibus auferuntur. Una tunc cum grege ad pastum exeunt, una revertuntur. Equorum etiam ministeria obeunt. In cursus certamine pernicitate vincunt equorum acerrimos. Cornua quotannis mutant novis, itemque pilos, quod omnibus silvestribus feris sub finem hiemis commune. Cervae carent ramosis cornibus; his soli cervi instructi sunt. Idem de capreolo dicendum, qui cervo minor et cornibus inferior, quae non Februario mense ut cervus sed autumnio deiecit. Cervorum generi annumerantur dama, tarandus, camelopardalis et alces. Tergus eorum, cornua, caro, adeps, ungulae varium in communi vita usum praebent.

30. Сѣверной олень.

Tarandus, cervo minor, septentrionalibus terrae partibus, imprimis Lapponiae proprius est. Gramine vescitur, musco, foliisque arborum; brumali autem tempore sub nivibus eruere victum solet. Lapponum facultates ex tarandorum, quot quisque habeat, copia aestimantur. Multiplicem illis usum praestat hoc animal. Quum enim facile mansvescant tarandi, crebrioribus Lapponum, qui sedem stabilem non habent, migrationibus apprime inserviunt. Aestate tarandis onera imponuntur: iidem, bruma ubi recurrit, trahis junguntur. Hac ratione longissimum iter brevi tempore tuto celeriterque absolvi potest. Eorum carne, cruore, lacte, ex quo et caseos conficiunt, vescuntur Lappones. E pellibus vestimenta, tentoria, lecti et similia parantur. Ex ossibus quoque varia conficiuntur utensilia.

31. Носорогъ.

Rhinoceros eandem quam elephas patriam habet, eique corpore, victu, vitaeque ratione admodum similis est; eidem ingenio longissime cedit. Est enim, prorsus indocilis. Longitudine et crassitie aequat elephantem, proceritate cedit. Cornu naso affixum saepe tres pedes longum est. Non nisi lacessitus homines adoritur. Irritatus, cornu vulnerat hostem. Eodem cum Elephanto pugnans utitur: ejusque ventrem dilaniat. Raro tamen vincit elephantem. Corium ejus est depile, cinereum rugisque ita contractum, ut paene videatur squamis ac thoracibus obductum esse.

32. Крокодилъ и беремонъ.

1. Crocodylum habet Nilus, Aegypti fluvius, quadrupes malum, et terra pariter ac flumine infestum: unum hoc animal terrestre linguae usu caret, quamquam in faucibus habet aliquam linguae similem carnem, quam tamen exserere non potest. Superiore maxilla, quae mobilis est, mordet. Magnitudine excedit plerumque duo de viginti cubita. Parit ova, quanta anseres; nec aliud animal ex minore origine in majorem crescit magnitudinem. Unguibus armatus est, cuteque contra omnes ictus invicta. Dies in terra agit, noctes in aqua. Somno pressum conspicatus ichneumon per fauces ut telum aliquod inmissus erodit alvum. Idem ichneumon ova crocodilorum investigat et exsorbet. Homines quoque ova haec, sub arena plerumque defossa sedulo quaerunt et frangunt. In ventre mollis est tenuisque cutis crocodylo. Terribilis haec bellua est contra fugaces, fugax contra insequentes: sed pauci adversam ire audent. Hebetes oculos hoc animal dicitur habere in aqua, extra acerrimi visus: quatuorque menses hiemis inedia semper transmittere in specu. Quidam hoc unum animal, quamdiu vivit, crescere arbitrantur: vivit autem longo tempore.

2. Formam habet lacertae similem, pedes quatuor, caudam nudumque corpus. Oculi ejus sunt parvi. Quidquid propius ad eum accesserit, unguibus ejus anterioribus arrip- tum dilaniatur; quae longius absunt, caudae vi prosternun- tur. Inveniuntur crocodyli non solum in Ægypto, sed omni- no in majoribus Asiae, Africae et Americae fluminibus, prae- cipue tamen in Nilo.

3. Major altitudine bellua, Hippopotamus, in eodem Nilo nascitur: unguis bifidis, quales bubus sunt, dorso equi, et juba, hinnitu, rostro resimo, cauda et dentibus aprorum aduncis sed minus noxiis. Depascitur segetes. Corii crassitudo talis est, ut inde tornentur hastae.

33. Бобръ.

Fiber vel Castor pellem habet pretiosissimam. Ex pilis conficiuntur panni et pilei. Quatuor magnis dentibus incisoribus iisque acutissimis animal hoc praeditum est. Cauda squamis obducta est. Uterque sexus sub cauda ha- bet folliculos quosdam, qui liquorem pinguem exsulant, qui castoreum vocatur et medicinae inservit. Inter bestias Ca- stor est architectus ingeniosissimus. Domicilia tam incre- dibili arte sibi construunt, ut hominum potius sedes, quam brutorum animalium esse videantur. In flumine plerumque aedificant. Aggerem ex lignis et argilla duodecim pedes la- tum pro fundamento ponunt, cui primam aedium contigna- tionem fluvio non altiore, superstruunt. Tum alteram tertiamque imponunt contignationem, in quibus octo vel de- cem fibri una habitant. Ex media contignationem in infe- riorem per foramen descendunt quoties lavatum eunt, in superiorem vero ascendunt, si aqua praeter modum crescit. Totum aedificium admirabili arte constructum duodecim plerumque pedes latum, decem vero altum deprehenditur. Instrumenta, quibus in hoc opere utuntur, partim dentes

sunt, quibus arbores dissecant, partim pedes, quibus argillam eruunt deprimuntque, partim cauda, qua non solum advehunt argillam, sed etiam tanquam trulla palis utrinque injiciunt et illinunt. Autumnū et hiemem in his aedificiis consumunt, vivuntque foliis atque corticibus arborum, inter aedificandum collectis et in inferiorem contiguationem congestis. Instante vcre discedunt domiciliis inque silvis degunt. Plurimi fibri in America septentrionali inveniuntur.

34. Птицы.

1. Aves a quadrupedibus pedum numero, alis, rostro, plumis, voce et generatione differunt.

2. Omnes aves bipedes sunt; pedum tamen multiplex est varietas, prout aut duos, aut tres, aut quatuor digitos habeant, qui aut disjuncti sunt, aut cute quadam conjuncti.

3. Binae omnibus avibus alae sunt, quarum remigio omnes volant, praeter unum struthiocamelum. Plumae caloris et vestitus causa datae sunt. Feruntur autem aves vario meatu, et in terra et in aëre. Ambulant nonnullae, ut cornices: saliant aliae, ut passeress, merulae: currunt, ut perdices, rusticulae.

4. Rostra quaedam aves habent breviora et adunca, aliae longiora et leviter obunca, aliae longiora et serrata; aliae acuta et longiora, aliae in coni figuram exeuntia, aliae brevja et recta. His rostris cibum capiunt. Aliae granis vescuntur, aliae carnibus. Graviorss omnes fruge vescuntur, altivolae carne.

5. Quum quadrupedia pilis tegantur, aves plumis adversus frigus et pluviam muniuntur. In plumarum coloribus insignis est varietas. Sunt niveae, ut oloribus: sunt atrae, ut corvis: sunt versicolores, ut columbis: sunt auro fulgentes, ut pavonibus; aliae caeruleas, aliae rubras, aliae flavas, aliae virides, aliae mixtas habent e variis coloribus pennas.

6. Quum vox animalium quadrupedum incondita sit, aves contra multae cantu mulcent aures; omniumque voces, etiamsi cantum non edunt, facile a ceterorum animalium vocibus distinguuntur.

7. Avium nullae vivos pullos pariunt, sed omnes ova, e quibus pulli calore matris incubantis excluduntur. Ovorum alia sunt candida, ut in columbis, perdiceibus; alia pallida; ut in aquaticis: alia punctis distincta, ut in meleagride, alia rubri coloris, ut in phasianis. Intus autem omne avium ovum bicolor est.

8. Omnes aves construunt nidos, eosque mollissime substernunt, ut quam facillime ova servantur, et pulli exclusi molliter recubent. Nidos varie construunt e juncis aut ramusculis, aut gramine, aut foeno, aut musco; quaedam aves, ut hirundines, ex arena et luto. Intrinsecus aut lana aut pluma insternuntur. Materiam ubique quaerunt. Saepe visa est hirundo in ovem involans, ut floccum lanae rostro deriperet. Interdum si copia non est mollis materiae, ipsae sibi plumas e pectore eripiunt. Ceterum singula genera proprio modo nidificant; estque in constructione nidorum admirabilis varietas; majus tamen est artificium in minorum avium nidis quam in majorum.

35. Спрусь или спрофокамилъ.

1. *Struthiocamelus* maxima est avium. Volare non potest partim ob molem corporis, partim quia nec pennas ad volandum commodas habet; sed pilis similes. Ad hoc tantum datae pennae sunt, ut currentem adjuvent; cursu autem ejus nihil velocius. Ungulae iis sunt cervinis similes, quibus dimicant, bisulcae, et comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus. Longus est *struthiocamelus* septem pedes. Pondus corporis ad septuaginta quinque pondo. Rostrum habet rectum. Acumen

rostri leviter inflectitur ad unci similitudinem. Collum est perlongum, pedes alti. Altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem vincunt. Capitis figura, colli longitudine, et gibbere dorsi camelis similes sunt.

2. Struthiocamelus omnia sine delectu devorat et concoquit. Plerumque enim dactylis quidem et granis vescuntur; sed etiam lapides, lignum, vitrum, ferrum, plumbum, et quidquid ejus generis oblatum fuerit, deglutunt. Patria Struthiocamelorum est Africa, et Asiae pars, quae Africae adjacet. In Africa multi cicurantur: adeo ut etiam greges eorum habeant incolae.

3. Pennae Struthiocamelorum in dorso sunt nigrae: in cauda albae. Hae praecipue diliguntur. His jam olim galeas ornabant. Et hodie pileorum et vestium muliebrium ornamento iuserviunt. Hae pennae vivis Struthiocamelis ereptae longe praestantiores sunt iis, quae mortuis deripiuntur. Ex quo fit, ut Afri greges harum avium alere studeant. Arabes tamen venantur etiam Struthiocamelos. Venandi ratio haec est. Persequendo eos sensim fatigant, et quominus cibum capere possint, impediunt. Ita inedia et cursu fessos repente equis citatis adoriuntur, et consecuti fustibus concidunt, ne sanguis candorem pennarum contaminet. Dicunt avem hanc collum frutice occultare, quod ita se latere existimet.

4. Ova pariunt struthiocameli dura et ampla. Propter amplitudinem vasa ex his ovis conficiuntur et argento includuntur, ut poculorum vicem expleant. In callidissimis regionibus ova in fervente arena posita sine matris incubatione excluduntur; pulli vix exclusi et pedibus valent, et cibum quaerunt. Ubi autem mitior est caloris temperies, ut in promontorio Bonae Spei, matres pullorum necessitatibus prospiciunt, donec sibi ipsi prospicere possint.

36. Ночныя пшцы.

1. Aves rapaces nocturnae ungues aduncos habent, ut noctua, bubo, ulula. Harum omnium oculi interdum hebetes. Accerime cernunt ad lucem crepusculi, aut post occasum solis, item ubi noctu luna fulget. Tum venatum exire solent. Si quando interdum exire coguntur, aut forte ab homine alicubi in arbore collocantur, nec volare, nec pedem promovere audent. Tum ceterae aviculae eas circumvolare, percutere, et omnibus modis vexare solent. Illi coecutientes ac stupidis similes omnes contumelias patiuntur ac perferunt. Ceterum hae aves auditu praeditae sunt acerrimo, rostro brevi et adunco, utraque mandibula mobili, unguibus tenacibus; volant, non recta, sed transverso impetu, et quam minimo cum sono, adeo ut propter aurem praetervolantes vix audiantur. Quaedam ejus generis aures plumeas eminentes habent; aliae autem iis carent. Vescuntur cadaveribus, et vivis animalculis, lepusculis, muribus, vespertilionibus, aviculis, lacertis, locustis. Hiemem tristes et solitariae consumunt esurientes et dormientes. Non solum vitae ratione, sed et figura, capite praesertim, felibus similes sunt.

2. Bubo ab aliis avibus nocturnis discernitur immani capite, auribus patulis, longioribus plumis utrinque super oculos eminentibus; rostro brevi, nigro, adunco: oculis magnis, torvis, et fulgentibus; pupillis latis, nigris, et fulvo orbe ceu annulo circumdatis, plumis in dorso fulvis, sub ventre flavis, quae utrinque nigris maculis distinguuntur; denique vocis diro sono. Bubo primo adspectu aquilam corporis magnitudine aequare videtur, revera tamen minor est. Deserta incolit, nec tantum desolata, sed etiam dira et inaccessa, ut rupes, turrium aut arcium excelsarum ruinas: raro in planitiem descendit. Venatores utuntur bubone ad vulturem alliciendum; solentque caudam ei vulpinam addere, ut monstrosiorem reddant. Vultur novitate monstri commo-

tus quasi miraturus advolat, atque ita aut capitur aut occiditur.

37. Хищныя птицы.

1. Ut bubo, ulula, noctua, noctu tantum evolant ad praedam; sic alia sunt genera avium rapacium, quae interdum venantur; quo pertinent accipitres, aquilae, vultures. His omnibus datum est caput grande, lingua lata, crassa, et carnosae; robusta ac torosa crura, quorum unguibus praedam comprehendunt. Et rostrum et ungues habent aduncos et acutos, et ad discerpendum, quae ceperint, accommodatos. Acerrimo denique visu praeditae sunt, ut e longinquo praedam cernere possint.

2. Accipitrum complura genera sunt. Distinguuntur genera ex aviditate. Unus est minor, merulae magnitudine, qui habitat in muris et pinibus: venatur autem hirundines, alandas et perdices. Alii nonnisi ex terra rapiunt avem; alii nonnisi circa arbores volitantem; alii sedentem in sublimi; aliqui volantem in aperto.

3. Falcones ideo potissimum celebrantur, quod iis venatores ad venationes utuntur, postquam eos singulari artificio ad hoc negotium instituerunt. Falcones acerrimo visu praediti sunt. Rostrum, nervi, tendines et ossa firmissima sunt: ideoque magnum eis robur inest; etsi pondus minus est quam pro magnitudine corporis. Non enim carne aut pinguedine abundant. Volatus falconis est celerrimus. Altissime evolat in aërem. Solent autem venatores longis funiculis, quibus pedes constrinxerunt, eum retinere. Praeterea pileo quodam caput et oculos tegunt. Qui similac demtus fuerit, celeriter evolat, et aves quascunque persequitur, eas etiam, quas antea, dum liber vixerat, haud solitus erat appetere. Nidulatur in summis rupibus, ex iisque tanquam e specula prospicit lepusculos, cuniculos, perdices, cujus generis ani-

malia venari solet. Ceterum falco foetorem vehementer aversatur; nec unquam attingit cadavera sicut vultur.

4. Milvus est ex accipitrum genere. Venatur gallinas, anseres, anates.

5. Aquilarum plura genera sunt. Nidificant in petris, et arboribus. Venantur plerumque hinnulos et lepores. Testudines raptas frangunt e sublimi jacentes. Idem cornices nucibus faciunt. Quum enim duritia nucis rostro repugnet, volantes in altum, in saxa tegulasve jaciunt semel ac iterum, donec quassatam perfringere queant. Id huic fabulae occasionem dedit.

„Aquila in sublime sustulit testudinem,
 „Quae cum abdidisset cornea corpus domo,
 „Nec ullo pacto laedi posset condita;
 „Venit per auras cornix et propter volans;
 „Opinam sane praedam rapuisti unguibus,
 „Sed nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
 „Gravi nequidquam te lassabis pondere.
 „Promissa parte, suadet, ut scopulum super
 „Altis ab astris duram illidat corticem,
 „Qua comminuta facile vescatur cibo.
 „Inducta verbis aquila monitis paruit
 „Simul et magistrae largae divisit dapem.
 „Sic tuta quae fuerat naturae munere,
 „Impar duabus occidit tristi nece.

6. Vultures aquilas magnitudine corporis aut aequant, aut superant. Venantur lepores, gallinas, nonnullos etiam pisces. Plerumque in exanima corpora seu cadavera involant, hisque pascuntur. Vulturum immanis est voracitas, odor acerrimus. Alii sunt nigri, alii rubicundi, alii fuscii; alii mistum habent ex albo et nigro colorem.

38. П а в л и н ъ.

Aves omnes reliquas forma superat pavonum genus. Superbus incessus indicat ipsum pavonem intelligere pulcritudinem suam. Laudis etiam gloriaeque cupidus est. Laudatus enim gemmantes expandit colores, adverso maxime sole, quia sic fulgentius radiant. Verum autumnii tempore, quo caudam splendidem amisit pudibundus ac moerens quaerit latebram. Pedibus tamen pulcra avis asperioribus praedita est, quos, quoties adspicit, lamentabili voce defflere videtur. Caro ejus dura atque concoctu difficilis habetur. Attamen Romae olim luxuriosi eum occidere solebant cibi gratia.

39. П ѣ ш у х ъ.

Gloriam sentiunt quoque galli, nostri vigiles nocturni, quos excitandis ad opera mortalibus rumpendoque somno natura genuit. Cum sole eunt cubitum. Sed non patiuntur sibi obrepere solis ortum, diemque venientem nuntiant cantu, ipsum vero cantum plausu laterum. Imperitant suo generi, et regnum, in quacunque sunt domo, exercent. Regnum inter eos paritur dimicatione; velut ideo tela adnata cruribus suis intelligentes. In victoria canunt seque ipsi victores testantur. Victus occultatur silens, aegreque servitium patitur. Superbus graditur gallus ardua cervice, cristis celsa; et sola volucrum coelum adspicit crebro, in sublime caudam quoque falcata erigens.

40. Л а с т о ч к а.

Hirundines nidos luto construunt, et stramento roborant. Si quando inopia est luti, madefactae, multa aqua pulverem spargunt. Ipsum vero nidum mollibus plumis floccisque consternunt, tepefaciendis ovis, simul ne durus sit infan-

tibus pullis. Quaedam hirundines sub hiemem avolant in peregrinas regiones, quod praeter eas faciunt quoque ciconiae, coturnices, grues, anatesque ferae. Aliae autem remanent quidem in patrio solo, sed sub hiemem relictis nidis, gregatim se abscondunt ad ripas fluviorum aut piscinarum. Ibi postquam pennas oleo quodam ipsis proprio inunxerunt constipatae in torporem incidunt, ex quo non nisi proximo vere in vitam redeunt, nidosque derelictos repetunt.

41. Журавль.

Grues, quum loca calidiora petentes maria transmigrant, trianguli formam efficiunt. Vix ullo in genere avium tantum animadvertitur ordinis studium, quantum in his. Duce enim eligunt inter volandum, et quidem illum, qui aetate et experientia reliquis antecellit. Agmen etiam claudunt, qui aetate et calliditate praestant, in medio agmine sunt juniores et minus periti. In tergo praevolantium colla et capita reponunt. Quod quia ipse dux facere non potest, non habet enim, ubi nitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat. In ejus locum succedit alia ex iis, quae acquirerunt; eaque vicissitudo in omni cursu servatur. Altissime assurgunt volatu, ut regiones, quas petunt, ex longinquo possint videre. Noctu nonnullae excubias agere dicuntur, lapillum pede sustinentes, qui, si per somnum deciderit, indiligentiam coarquat. Ceterae dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes.

42. Аистъ, гусь, лебедь.

Ciconiae pullos suos vehementer amant. Sed hi rursus egregium grati animi exemplum praebent. Maxima enim cura et pietate fovent parentes, senio confectos. Redeunt, nidos eosdem repetunt. Sed quonam e loco ciconiae veniant, aut quo se referant, incertum adhuc est. E longinquo veni-

re, non dubium, eodem quo grus modo. Abiturae congregantur in loco certo, comitataeque sic, ut nulla sui generis relinquatur nisi captiva et serva, ceu lege praedicta die recedunt. Nemo vidit agmen discedentium, quum discessurum appareat: nec venire, sed venisse cernimus. Utrumque nocturnis fit temporibus. Et quamvis ultro citroque pervolent, nunquam tamen advenisse usquam nisi noctu existimantur. Ciconiis exitio serpentium tantus est honos, ut in Thessalia capitale fuerit occidisce ciconiam, utque eadem legibus poena esset constituta, quae in homicidam. Simili ratione anseres quoque et olores commeant, sed horum volatus cernitur. Cuneatim volant. Collam quisque praecedenti imponit, fessos duces ad terga recipiunt. Olores morientes flebilem cantum canere dicuntur, sed falso. Reperitur cygnus ubivis in septentrionalibus terrae partibus. Vescitur ranis, plantisque aquaticis. Facile cicurantur cygni. Ferorum anserum versus septentrionem magna multitudo. Utilissimum est hoc avium genus plumis pennisque, quibus quotannis bis terve sine detrimento spoliari potest.

43. С о л о в е й.

Ut pavo forma, sic cantu excellit lusciniā. Quanta autem vox tam parvo in corpusculo, quam pertinax spiritus! Vernis mensibus per totam fere noctem dulci suo cantu auditores delectat. Primo diebus ac noctibus quindecim assidue canit; ab eo vero tempore canit quidem, sed non assidue; deinde tacet. Capta et caveae inclusa diutius canit. Plures singulis sunt cantus, nec iidem omnibus, sed sui cuique. Certant inter se. Victa morte finit saepe vitam, spiritu prius deficiente, quam cantu. Hieme non cernitur. Pariunt vere primo, cum plurimum, sena ova.

44. Попугай, сорока, скворецъ.

Humanas voces imitantur psittaci. India hanc avem mittit. Salutat, et, quae accipit verba, pronuntiat. Capiti ejus duritia eadem quae rostro. Minor nobilitas, quia non ex longinquo venit, sed expressior loquacitas certo generi picarum est. Adamant verba, quae loquantur. Constat emori victas difficultate verbi, ac, nisi subinde eadem audiant, memoria falli: quaerentesque mirum in modum hilarari, si interim audierint id verbum. Latior iis est lingua, ut omnibus avibus, quae sermonem imitantur humanum, inter quas excellit etiam sturnus. Sturni catervatim volant. Adventant praecipue uvis maturescentibus, quas depopulantur. Ex Europa migrant in Aegyptum.

45. К и ш ь.

Balaenae, belluarum maris grandissimae, amplissima sexaginta aut septuaginta pedum longitudo est, cujus tertiam partem caput implet. Olim, quum minus quam nunc illis insidiarentur homines, multo majores et longiores inveniebantur. Capiuntur praecipue circa Groenlandiam. In summo capite spiracula sunt, unde aquam, quum ludit, aut sanguinem, quum vulneratur, summa vi summoque strepitu efflat. Rictus duodena cubita latitudine excedit, gula autem non est admodum ampla. Palatum et fauces contabulata quasi sunt testo, cujus quingenti conti, quindecim et plures pedes longi, numerantur. Feminae non ova pariunt, ut plurimi pisces, sed animalia viva, quae mammis nutriunt. Caro hujus piscis dura est et macra: adeps vero magnae crassitudinis inter cutem et carnem itemque sub labiis deprehenditur, ex quo oleum quoddam pingvius praeparant. Vis summa ejus in cauda, quatuor interdum ulnas lata, qua magnas naves frangit atque evertit. Captura tanti piscis admodum molesta est, et periculosa. Jaculis hamatis, longissimo

funi annexis, e navibus petitur. Jaculis aliquot in corpore fixis, tantum sanguinis ex vulneribus emittit, iratusque ex capite efflat, ut exsangvis tandem occidat. Tum vero nil nisi testum, et adipem sibi sumunt piscatores, quibus rebus multum lucrantur imprimis Batavi. Reliqua ursis avibusque permittuntur. Hostes Balaenae infestissimi sunt pristēs. Capiuntur maxime mense Junio atque Julio. Tum magna balaenarum multitudo congregatur, ut facile vel duo millia capi possint.

46. Дельфинъ.

Velocissimum omnium animalium, non solum marinarum, est Delphinus: ocyor volucre et telo. Ejus celeritatem nullus effugere posset piscis, nisi provida Dei cura ita factus esset, ut nonnisi resupinus praedam capere possit; quo fit, ut pisces moram habeant evadendi. Rostrum simile porcino habet delphinus. Delectari dicitur musica, hominemque amare. Obviam navigiis veniunt delphini, ludunt exsultantes, tantaque vi exsiliunt, ut plerumque vela navium transvolent. Pariunt catulos, interdum binos: nutriunt uberibus sicut balaena, atque etiam gestant foetus, infantia infirmos. Quin et adultos diu comitantur, magna erga partum caritate. Adolescunt celeriter, decem annis putantur ad summam magnitudinem pervenire.

47. Сельдь.

Halec, piscis notissimus, colorem mutat, quia hieme est candidior, aestate nigrior. Nullus piscium foecundior est illo. Praeterea caro ejus svavissima est, quare plerique pisces, praesertim ceti, illis insidiantur. Ita fit, ut quotannis incredibilis halecum multitudo ex mari glaciali ad Hollandiae usque Angliaeque oras penetret. Halecibus innumerabilis hominum multitudo vitam sustentat.

48. Черепаха.

Testudo, quadrupes ovipara, tota tegitur durissima testa, quasi clypeo, ita, ut caput, pedes et caudam exserere possit. Valde stupida haec est bestia. In mari conchyliis vivunt, in terram egressae herbis. Pariunt ova avium ovimilia ad centena numero, eaque defossa extra aquas et cooperta terra solis calore animantur. Carnis ovorumque sapor svavissimus habetur. Color testarum varius pulcherrimusque. Ex iis multa et elegans supellex conficitur.

49. Пчелы.

Aut in vetustae arboris cavo, aut in alvearibus habitant apes. In eodem alveo multa apum millia commorantur. Ex his una magnitudine reliquis praestans reginae nomine insignitur. Haec sola in alveo femella, nihil agit nisi ut ovula ponat, ex quibus novum apium examen calore solis excluditur. Quae magnitudine proxime accedunt ad reginam, masculae sunt apes, sive fuci. Carent praeterea aculeo, et simulac regina satis ovorum peperit, ab operantibus apibus aculeis interfectae ex alveari ejiciuntur. Hoc plerumque sub finem aestatis accidere solet. Laborantium apum multo major quam reliquarum in uno alveo est numerus, qui ad plura millia excrescit. Evagantur ex alveari in prata et campos, mel e floribus sugentes, colligentesque ex iis tenuem pulverem, qui iisdem inhaeret. Ex hoc pulvere ceram conficiunt, unde sexangulas sibi struunt cellas, in quas ova deponit regina. In vacuis cellis apes operantes mel stipant. Postquam in alveari novum examen cum nova regina procreatum est, recens hic popellus calido die aestivo duce regina ex alveari ad novas sedes migrat.

2. Ratio operis apum haec est. Interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una ceteras excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo.

Tunc universae provolant, si dies mitis futurus est. Prae-divinant enim ventos imbresque, et se continent tectis. Itaque temperie coeli, quum agmen ad opera processit, aliae flores aggerunt pedibus, aliae aquam ore, guttasque lanugine totius corporis. Quibus est adolescentia, illae ad opera exeunt et supradicta convehunt: seniores intus operantur. Quae flores comportant, totae onustae remeant. Excipiunt eas ternae aut quaternae, atque exonerant. Sunt enim intus quoque officia divisa. Aliae struunt, aliae poliunt, aliae suggerunt, aliae cibum comparant ex eo, quod allatum est. Neque enim separatim vescuntur, ne inaequalitas operis et cibi fiat et temporis. Mira observantia operis. Cessantium inertiam notant, castigant mox, et puniunt morte. Mira mun-dities. Amoliuntur omnia e medio, nullaeque inter opera spurcitiae jacent. Quin et excrementa operantium intus, ne longius recedant, unum congesta in locum, turbidis diebus et operis otio egerunt. Quum advesperascit, in alveo obstrepunt minus ac minus, donec una circumvolet, eodem, quo excitavit, bombo ceu quietem capere imperans: et hoc castrorum more.

3. Non constat, rex nullumne habeat aculeum, majestate tantum armatus; an dederit eum quidem natura, sed usum ejus illi tantum negaverit. Illud constat, imperatorem aculeo non uti. Mira plebi circa eum obedientia. Quum procedit, una est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore quum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Procedit foras, non nisi migraturo examine. Id multo intelligitur ante, aliquot diebus murmure intus strepente. Diem tempestivum eligunt. Si quis alam regi detruncet, non fugiet examen. Quum processere, se quaeque proximam illi cupit esse, et in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant, validius fatigatum ex toto portant. Si qua lassata deficit, aut forte aberravit, odore persequitur.

Ubicunque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt. Duce prehenso totum tenetur agmen, amisso dilabitur, migratque ad alios. Esse utique sine rege non possunt. Invitae autem interimunt eos, quum plures fuere; tunc et fucos abigunt. Certum est, ab apibus fucos interfici. Aculeum apibus natura dedit ad unum ictum: hoc infixio quidam eos statim emori putant. Est in exemplis equos ab iis occisos. Odere foedos odores, proculque fugiunt. Rege peste consumpto moeret plebs ignavo dolore, non cibos convehit, non procedit, tristi tantum murmure glomeratur circa corpus ejus.

50. Ц в Ъ п ы.

Mira florum varietas. Plurimae plantae usus alimentique gratia in terris gignuntur, flores vero, ut pulcritudo illorum moveat oculos et delectet, utque admoneat homines, quae spectatissime florent, celerrime marcescere.

Differunt rosae multitudine foliorum, asperitate, laevore, colore, odore. Liliū rosae nobilitate proximum est. Nulli florum excelsitas major. Candor eius est eximius. Est et rubens liliū, et purpureum. Violarum plures species, purpureae, luteae, albae. Florum ver nuntiantium prima est viola.

51. Вещества изъ царства растѣній.]

Linum in fila ductum et contextum infinitas hominibus commoditates praestat. Linum vile aut impositum stupra vocatur. Cannabis utilissima funibus, retibus et pannis. Rubia tingendis lanis et coriis utilissima est.

52. Д е р е в а.

Arborum species diversae sunt: quippe multae ipsae sponte sua proveniunt, multae etiam nostra manu satae procedunt. Quae non ope humana gignuntur, silvestres ac fe-

rac sunt; at quibus labor adhibetur, magis aptae sunt fructibus. Arborum flos est pleni veris indicium et anni renascentis.

Non omnes arbores in omnibus locis nascuntur, nec translatae vivunt coelo invidente vel solo repugnante. A solo quidem aliquando impetratur, ut alienas arbores alat, advenasque nutriat. Coelum autem nullo modo potest flecti.

Montes amant cedrus, larix, teda et ceterae, ex quibus resina gignitur, item juniperus et aliae. Montes et vales diligit abies, robur, castanea, tilia, ilex. Aquosis montibus gaudent acer, fraxinus, tilia, cerasus. Gaudet frigidis betula. Non nisi in aquosis proveniunt salices, alni, populi, vaccinia.

Arborum aliis decidunt folia, aliae sempiterna coma virent, ut olea, laurus, palma, myrtus, cupressus, pinus, hederæ, abies, larix, pinaster, juniperus, cedrus, terebinthus, buxus, ilex, taxus aliaeque. Latissima folia fico, viti, platano; angusta myrto, punicae, oleae; pungentia pino, piceae, abieti, larici, cedro. Pinus, abies, picea, larix, cedrus et nonnullae aliae arbores picem gignunt. Omnes perpetuo virent, nec facile discernuntur in fronde, nisi a peritis. Abies e cunctis amplissima, illique pulcherrima materies. E ramis generum horum nucamenta squamatim compacta dependent.

Vitis ceteris stirpibus jure praeponitur, non tantum fructus dulcedine, sed etiam facilitate per quam omni paene regione, nisi famen glaciali, curae hominum respondet, tamque felix campis, quam collibus provenit. Vini genera differunt colore, sapore, aetate, virtute, patria. Mulsum est vinum melle conditum. Uvae suspenduntur, et in sole panduntur, ut passae fiant.

Ex omnibus stirpibus longe minorem impensam desiderat olea. Omnis olea major fere ad escam, minor oleo est aptior. Oliva constat nucleo, oleo, carne, amurca. Palma, arbor

nobilis, orienti propria est; sunt quidem et in Europa, sed steriles, frugiferae vero nusquam nisi in fervida regione.

53. Песокъ, Камни.

Arena liquatur igni, ac funditur in usum vitri. — Calx e lapide coquitur. — Marmor est vel candidum, vel maculosum, versicolores habens maculas, cujus genera et colores non facile est enumerare in tanta multitudine. Marmora scalpunt, secant etiam in crustas. Gypsus e lapide coquitur et e terra foditur. Asbestus lapis est flexilis in modum lini, nihil igni deperdens. Pumex lapis cavernosus, ad corpora laeviganda utilissimus. Lapillos pretiosos, sive perlucidos, sive minus, gemmas vocamus. Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas, cujus duritia inenarrabilis est. Smaragdus viridis. Beryllorum probatissimi viriditatem puri maris imitantur. Chrysoberylli sunt paulo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore. Vicinum genus huic est pallidius, vocaturque Chrysoprasus. Carbunculus a similitudine ignium appellatur. Saphiri coeruleae, raroque cum purpura; nusquam perlucidae. — Magnes ferrum ad se allicit et attrahit; est etiam ipsi vis directrix ad septentrionem.

54. С о л ь.

Sal omnis aut fit aut gignitur, utrumque plurimis modis. Sunt montes nativi salis, in quibus lapicidarum modo caeditur, quem salem vocant fossitium. Aliud genus ex aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis littoribus ac scopulis relict. Factitii salis varia genera: vel enim in salinis, mari affuso sole multo arescit, vel excoquitur muria ex fontibus hausta, et sal conficitur candidus. Sale in condiendis cibus atque servandis carnibus et piscibus utimur.

55. М е т а л л ы.

1. Metalla puteorum scrobibus effodiuntur. Cuniculis per magna spatia actis, cavantur montes ad lucernarum lumina: sidunt nonnunquam rimae subito, et opprimunt operarios. Quod effossum est, tunditur, lavatur, molitur in farinam. Ignis excoquit vitium metalli. Quae e catino jactatur spurcitia, in omni metallo vocatur scoria.

2. Auro praecipua gratia, ob fulgorem et raritatem. Invenitur etiam in fluminibus, nec ullum absolutius aurum est. Nullum aliud metallum laxius dilatatur. Praeterea aurum omnium metallorum gravissimum est. Argentum nonnisi in puteis reperitur. Aes effoditur ignique perficitur. Antiquissima pecunia ex illo cudebatur, immo ante nummorum usum pretium aliarum rerum aeris pondere aestimabatur. Cadmia in aes conjicitur, ut fiat orichalcum. Plumbum est metalli genus stanno inferius. Ejus natura humida est, stanni autem natura plus aridi habet: ideo stannum nulli rei sine mistura utile est. Stannum illitum aeneis vasis saporem gratiorem facit et compescit aeruginis virus.

Ferri metalla ubique propemodum reperiuntur minimeque difficultate cognoscuntur. Ex ferro optima pessimaque vitae instrumenta fiunt; siquidem hoc tellurem scindimus, hoc extruimus tecta, caedimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur; sed eodem ad bella, caedes, latrocinia. Chalybs est genus ferri durissimi. — Argentum vivum exest, ac perumpit vasa. Omnia ei innatant praeter aurum.

56. Воздушныя явленія.

1. Terra universa circumfusa undique est aëre. Vapores levitate sua sublati innatant aëri, tantoque evehuntur altius, quanto magis eos calor solis extenuavit. Ubi copiose cientur, et una cum aëre frigoris vi coguntur, veniunt in conspectum oculorum, efficiuntque nebulas. Coacti in guttu-

las vapores terram, pluviae prope modo, humectant, haud ab-similes rori, qui terrae mane vesperive incubat. Ex rore gelido nascitur pruina. Vapores in sublime acti densiusque stipati efficiunt nubes. Hae saepe suo pondere ruptae ru-unt in terram efficiuntque pluviam, quae vel minutis raris-que guttulis terram adspersit, vel grandes copiosasque gut-tas defert, vel denique omnis nubium humor una prope ef-funditur: illud genus imbres, hoc nimbos appellamus. Gran-do congeliato imbre gignitur, et nix eodem humore molli-us coacto. Glacies est aqua congelata. Iris, arcus coelestis, tum existit, quum sol radiis suis illuminat exadversum ca-dentes pluviae guttas.

2. Fulgur appellatur fulgor ille subitus, ex obscuris plerumque nubibus emicans, cum tonitru fere conjunctus, licet illud vel serius ad aures perveniat, quam fulgur ad oculos, vel plane ferire aures non possit. Fulminei quidem ignis varii mirique effectus sunt: nam modo incendit corpora, in quae irruit, modo leviter tantum adurit, modo findit frangitque, interdum liquefacit.

3. Quod olim in prodigiis numeratum est, noctu coe-lum arsisse, id haud dubie de lumine illo debet intelligi, quod a plaga coeli, unde fulget, boreale vocatur, et hibernis fere noctibus spectaculo est.

4. Aliae praeterea igneae species, sed sine fragore in-terdum, ab exhalationibus terrae pingvioribus et putridis conflatae, vagantur, cujus generis sunt dracones volantes et trajectiones stellarum. Similis ratio est ignis fatui, locis pa-ludosis et sepulcris inerrantis.

57. Небесныя пила.

1. Coelo adscribimus stellas, solem et lunam. Stella-rum tria genera sunt. Primum earum, quae eundem semper inter ceteras locum obtinent, aequaliterque omni tempore ab iis distant. Has fixas vocant. Credibile est, fixam quamque

stellam esse soli nostro similem, et circum eam moveri corpora, quae illius lumine ac fotu et illustrentur et calefiant. Illarum numerus definiri nequit. Candidus ille circulus, quem galaxiam a lacteo colore appellamus, stellis fixis constat.

2. Ex alio genere stellae sunt eae, quas Cometas vocant. Communem illae quidem cum stellis fixis habent motum eum, quo ab oriente versus occidentem ferri videntur, sed alium praeterea proprium, ad modum legemque planetarum.

3. Tertium stellarum genus, quae ab occidente sole versus orientem moventur, neque eodem semper loco conspiciuntur; unde planetae, hoc est errantes, appellantur; et praeter Terram veteribus notae fuerunt sex: Luna, Mercurius, Venus, Mars, Jupiter, Saturnus. Sunt autem omnes opacae et luce carent sua. Ante aliquot annos novus Planeta detectus est ab Herschelio in Britannia. Hunc Uranum vocare solent. Nuperrime adhuc conspecti sunt tres, Ceres, Pallas et Juno.

4. Luna noctu lucet, et eam lucem, quam a sole accipit, mittit in terram. Varias ipsa mutationes lucis habet: modo enim curvata est in cornua, modo aequa portione divisa, modo toto orbe lucet, quod plenilunium vocant, modo nobis prorsus non lucet, quod interlunium dicunt. Illa tum interposita inter solem terramque radios solis et lumen obscurat, tum ipsa incidens in umbram terrae, quum est e regione solis, interpositu terrae repente deficit, quod lunae eclipsis, sive defectus appellatur. Luna multo minor est terra.

5. Veneris stella, Phosphorus graece, Lucifer latine dicitur, quum antegreditur solem; quum autem subsequitur, Hesperus. Haec quoque stella minor est terra, itemque Mercurius et Mars.

6. Sol astrorum obtinet principatum. Igneus est, omnes planetas clarissima luce collustrat et efficit, ut omnia floreat, et in suo quaeque genere pubescant. Non tepefacit

solum, sed etiam saepe comburit. In compage media planetica ita collocatus est, ut ipse circa axem rotetur suum, planetae autem omnes circa ipsum orbitis moveantur, hoc ordine, ut proximum a sole locum Mercurius teneat, alterum Venus, tertium Terra cum Luna, quartum Mars, quintum Ceres, Pallas et Juno, sextum Jupiter cum quatuor satellitibus vel lunis, septimum Saturnus cum septem satellitibus, cinctus praeterea anulo quodam, octavum Uranus cum sex satellitibus suis.

7. Omnes stellae globosae sunt atque rotundae. Et tellus a rotunditate orbis terrarum dicitur. Esse autem rotundam, umbra illius in eclipsi lunae rotunda, navigationes circa terram, ortus et occasus solis, multaque alia ita arguunt, ut nemo amplius dubitet.

58. Здоровье и болѣзнь.

1. Sanns homo, qui et bene valet, et suae spontis est, nullis obligare se legibus medicorum debet. Hunc oportet varium habere vitae genus: modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro; navigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Nam ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; bis die potius, quam semel cibum capere, et semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat.

2. At imbecillis (quo in numero magna pars urbanorum omnesque paene cupidi literarum sunt) observatio major necessaria est. Ex his igitur, qui bene concoxit mane tuto surget: qui parum, quiescere debet: qui non concoxit, ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitationi credere: habitare vero aedificio lucido, perflatum aestivum, hibernum solem habente: cavere meridianum solem, matutinum et vespertinum frigus. Ubi expectatus est aliquis,

paulum intermittere, deinde, nisi hiems est, fovere os multa aqua frigida debet. Quem interdiu vel domestica vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod seruandam curationi corporis sui est. Prima autem ejus curatio exercitatio est, quae semper antecedere cibum debet: in eo, qui minus laboravit et bene concoxit, remissior; in eo, qui assuetus est, et minus concoxit, amplior. Commode vero exercent clara lectio, pila, cursus, ambulatio, atque haec non utique plana commodior est: siquidem melius ascensus et descensus cum quadam varietate corpus moveat, nisi tamen id perquam imbecillum est. Melior autem est ambulatio sub dio quam in porticu: melior recta, quam flexuosa. Exercitationis plerumque finis esse debet sudor, aut certe lassitudo: idque ipsum modo minus, modo magis faciendum est.

3. Post exercitationem paulum conquiescere opus est. Ubi ad cibum ventum est, nunquam utilis est nimia satietas, saepe inutilis nimia abstinencia. Condita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam et plus propter dulcedinem assumitur, et quod modo par est, tamen aegrius concoquitur. Post satietatem nihil agendum. Ubi expletus est aliquis, facilius concoquit, si, quidquid assumsit, potione aquae frigidae includit.

4. Periclitatur et qui semel, et qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit. Item neque post nimium laborem subitum otium, neque post nimium otium subitus labor sine gravi noxa est. Ergo quum quis mutare aliquid volet, paulatim debet assvescere. Atque ideo quoque nimis otiosa vita utilis non est, quia potest incidere laboris necessitas. Illud quoque nosse oportet, quod ex labore sudanti frigida potio perniciosissima est; atque etiam, quum sudor remisit, itinere fatigatis inutilis. Levat lassitudinem etiam laboris mutatio. Qui toto die sedit, huic nihil currendum, sed lente ambulandum est.

5. Extenuat corpus aqua calida, omnis calor, cura, vigilia, somnus nimium vel brevis vel longus, cursus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio, vomitus, dejectio, acidae res et austerae, et semel in die assumtae epulae. Purgationes interdum necessariae sunt, sed ubi frequentes sunt, periculum afferunt. Assvescit enim non ali corpus, et ob hoc infirmum erit.

6. Tempus quoque anni considerare oportet. Hieme plus esse convenit, minus bibere; at vero paulum cibi demendum adjiciendum potioni. Æstate vero et potione et cibo saepius corpus eget. Per autumnum vero propter coeli varietatem periculum maximum est. Itaque neque sine veste, neque sine calceamentis prodire oportet; praecipueque diebus frigidioribus, neque sub dio noctu dormire, aut certe bene operiri. Poma nocere quidam putant. At non haec, sed consumatio omnium nocet. In nullo tamen minus quam in his noxa est.

7. Cui caput infirmum est, is, si bene concoxit, leniter perfricare id manibus suis debet, capillos quotidie pectere, multum ambulare, sed, si licet, neque sub tecto, neque in sole: utique autem vitare solis ardorem, maximeque post cibum. Capiti nihil aequè prodest atque aqua frigida. Itaque is, cui hoc infirmum est, per aestatem id bene largo canali quotidie debet aliquamdiu subicere. Huic modicus cibus necessarius est, quem facile concoquat. Scribere, legere, voce contendere post coenam non debet, postquam ne cogitatio quidem ei satis tuta est. Neque vero his solis, quos capitis imbecillitas torquet, usus aquae frigidae prodest, sed iis etiam, quos assiduae lippitudines, gravedines, destillationes, tonsillaeque male habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum, sed os quoque multa frigida aqua fovendum est.

8. Quem frequenter cita alvus exercet, huic opus est pila similibusque superiores partes exercere; dum jejunos

est, ambulare, vitare solis nimium ardorem, non uti cibis variis minimeque jurulentis, omnia denique sumere, quae tarde concoquuntur. Si frigidae potiones ventrem ejus non turbant, his utendum potissimum est. Semper post cibum conquiescere debet, ac neque intendere animum, neque ambulatione quamvis leni dimoveri. — Si quis stomacho laborat, legere clare debet, post lectionem ambulare, tum pila aliove genere, quo superior pars moveatur, exerceri, non aquam, sed vinum calidum bibere jejunus; cibum bis die assumere, sic tamen, ut facile concoquat; uti vino tenui et austero, et post cibum frigidis potionibus potius. Stomachum autem infirmum indicant pallor, macies, praecordiorum dolor, nausea et nolentium vomitus, in jejuno dolor capitis. Quae in quo non sunt, is firmi stomachi est.

9. Aliae res boni succi; aliae mali sunt; aliae lenes, aliae acres; aliae crassiorem pituitam nobis faciunt, aliae tenniorem; aliae idoneae sunt stomacho, aliae alienae; itemque aliae infant, aliae ab hoc absunt; aliae calefaciunt, aliae refrigerant; aliae facile in stomacho acescunt, aliae non facile intus corrumpuntur; quaedam somnum movent, quaedam sensus excitant.

10. Stomacho apta sunt, quaecunque austera sunt, et quae acida, quaeque contacta sale modico sunt. Item panis sine fermento, et elota alica, vel oryza, vel ptisana, omnis avis, omnis venatio, atque utraque vel assa, vel elixa: ex domesticis animalibus bubula; si quid ex ceteris sumitur, macrum potius, quam pingue. Aliena vero stomacho sunt omnia tepida, omnia salsa, omnia jurulenta, omnia praedulcia, omnia pingua. Ex his intelligi potest, non, quidquid boni succi est, protinus stomacho convenire; neque, quidquid stomacho convenit, protinus boni succi esse.

V. НБЧТО ИЗЪ МИΘΟΛΟΓΙИ.

Graeci veteres atque Romani non, sicut nos, unum colebant Deum, sed plures deos, deasque. Erant quidem inter eos philosophi, qui vanitatem religionis popularis intelligerent, et unum tantummodo Deum, hujus mundi opificem, colendum esse censerent. Sed vulgus innumeros fere deos colebat, donec Christiana religio doctrinam de uno Deo latius propagaret. Illorum deorum notissimos nunc recensebimus.

2. Omnium Deorum primus et maximus erat **Iupiter**. Hujus nominis olim plures fuisse dicuntur, quorum omnium res gestae postea uni Jovi Cretensi adscriptae sunt. Hic Saturni et Rheae filius fuisse, et in Creta insula natus et educatus esse dicitur. Quum autem adolevisset, patrem suum regno expulit, atque illud cum fratribus suis ita divisit, ut ipse imperium coeli et terrae, Neptunus maris et Pluto inferorum imperium obtinerent. Attamen illi etiam Neptunus et Pluto parebant. Pingebatur Jupiter plerumque sedens in solio eburneo, sceptrum sinistra manu, dextra fulmen tenens. Juxta eum stabat aquila, quae avis ei consecrata erat, et pocillator Canymedes. Ex arboribus sacra ei erat quercus.

3. Jovis uxor et soror erat **Juno**. Pingebatur solio insidens, habitu regali, sceptro et diademate insignis. Dea haec divitiis, regnis, et matrimoniis praecerat. Ex avibus pavo illi sacraus erat, qui et in imaginibus ejus conspici solet. Junonis ministra et nuncia erat **Iris**.

4. **Vesta**, Saturni filia, ignem significabat. Semper virgo fuit. Cultus ejus fuit antiquissimus. Romae primus ei templum extruxit rex Numa. In eo statua nulla erat, sed ignis perpetuus a virginibus Vestalibus, hujus deae sacerdotibus, servabatur, et gravis poena in eam, cujus negligentia ignis ille exstinctus foret, constituta erat.

5. **Minerva**, quae et **Pallas** dicitur, Jovi dignitate fuit proxima. Immo ex cerebro Jovis nata esse fingitur; quia

sapientiae et artium praeses habetur. Colebatur imprimis Athenis, ubi maxime vigeant litterarum studia. Tribuunt ei inventionem lanificii et oleae. Tum belli etiam et armorum dea erat. Denique quadrigas et bigas invenisse fertur. Pingitur armata torvo vultu, glaucis oculis, galeam capite gerens et induto thorace, in quo Medusae caput serpentibus circumvolutum, cujus adspectus homines in lapides convertere credebatur, effictum erat. Ex avibus noctua ei sacrata erat, ex arboribus olea.

6. Ceres, Saturni et Rheae filia, frugum dea. Primasationem et usum frumenti homines docuit, quum antea glandibus vescerentur. Sacra ejus religioso quodam silentio celebrabantur. Pingebatur coronam gestans speciebus ornatam, faciem plerumque altera manu tenens (quoniam facibus olim ad Aetnam accensis filiam suam a Plutone raptam quaesierat), altera interdum papaver.

7. Mars belli praeses fuit. A Romanis praecipuo honore colebatur, quia Romulum et Remum, qui Romam condiderant, filios ejus fuisse credebant. Animalia ei sacra erant lupo, picus et maxime equus. Pingebatur ardente vultu curru plerumque insistens, vel equo insidens, hasta et flagello armatus. In ejus honorem tertius anni mensis Martius dictus est. Aurigae munere in curru Martisungebatur Bellona, soror illius. Victoria etiam Romae colebatur sub forma virginis alatae, coronam vel palmam manu ferentis.

8. Mercurius, Jovis et Majae, quae filia erat Atlantis, filius, nuncius deorum erat, praecipue Jovis. Praecerat sermoni et eloquentiae, animas defunctorum ad inferos deducebat, mercatorum quoque et lucris, immo et furum deus habebatur. Praeterea musices et lyrae inventor erat. Pingebatur ut juvenis formosus, petaso et talaribus aureis alatis insignis; caduceum sive virgam manu tenens, cui duo ser-

pentēs erant circumvolati, quia praeconis etiam fungebatur munere et pacis auctor erat, cuius signum olim fuit hic caduceus.

9. Appollo, qui et Phoebus dicitur, Jovis et Latonae filius fuit, cum sorore Diana in insula Delo natus. Hunc quatuor praecipue artium inventorem et praesidem fixerunt, medicinae, artis sagittariae, musices et poëseos, unde a poetis prae ceteris invocatur et lyram tenens pingitur: denique arti divinandi praeerat, et plurima ei consecrata erant oracula, quorum celeberrimum erat Delphicum. Idem deus praeses erat Musarum, quae litteris et artibus liberalibus praesunt. Novem sunt Musae, quarum nomina haec: Clio, Calliope, Melpomene, Thalia, Euterpe, Erato, Polyhymnia, Terpsichore, Urania. Pingebatur Apollo specie imberbis juvenis, promissis capillis, dextra arcum et sagittas, laeva lyram tenens. Coronatur lauro, quae arbor ei sacra erat, unde etiam poetae lauro coronantur. Inter aves sacer ei erat corvus et cygnus. Multi etiam Apollinem et Solem unum eundemque deum esse dicunt: alii tamen rectius eos distinguunt.

10. Diana, Apollinis soror, Jovis et Latonae filia, semper virgo fuisse fertur. Eadem et Luna fuisse dicitur, quare cum lunula in fronte pingitur. Praeerat venationibus, silvis et montibus, quare canes ei erant consecrati. Pigenbatur coma soluta, arcum et sagittas manu tenens, cervos aliasve feras persequens cum canibus.

11. Venus, amoris et pulchritudinis dea, ex spuma maris orta esse dicitur. Curru vehitur tracto a cygnis, vel columbis. Inter arbores myrtus ei sacra erat. Comitatur eam filius, Cupido, puer alatus et arcu atque sagittis instructus. Praeter hunc comites habet tres Gracias, venustatis deas. Dicuntur Aglaja, Thalia, Euphrosine. Hae finguntur plerumque nudae et manibus junctis.

12. Veneris, pulcerrimae omnium dearum, maritus erat turpissimus omnium deorum, Vulcanus, Jovis et Ju-

nonis filius. Ob deformitatem a Jove coelo ejectus, et in insulam Lemnum delapsus, eoque claudus factus est. Erat ignis et fabrorum ferrariorum deus. Officinam habebat in monte *Ætna*. Ministri ejus erant Cyclopes, gigantes unum tantummodo oculum in media fronte habentes.

13. *Neptunus*, *Jovis* frater, maris imperium obtinuerat. *Neptuno* erat equus consecratus, quia primum equum e terra produxisse credebatur. Agnoscitur inprimis tridente, quem manu gerit. Comitatur eum *Triton* tubicen, qui concha pro tuba utitur.

14. *Pluto*, *Saturni* filius, inferorum deus, pingitur solio insidens loco tenebricoso, torvo vultu, sceptro et corona ex ebena insignis. *Plutonis* uxor erat *Proserpina*, *Jovis* et *Cereris* filia. Hanc *Pluto* ex *Sicilia* rapuit. *Cereris* tamen precibus effectum est, ut sex tantum menses apud maritum in *Orco*, sex reliquos apud matrem degeret. *Orcus* dividitur in *Tartarum*, sedem malorum et improborum, qui variis ibi poenis cruciantur, et campos *Elysios*, piorum sedem. *Judices* umbrarum tres sunt: *Minos*, *Rhadamantus* et *Æacus*. Ad inferos umbras deducit *Mercurius*. Tum excipit eas nauta *Charon*, qui eas trans *Stygem* et *Acherontem*, *Orci* flumina, transvehit. Qui in terra humati non sunt, diu circumerrant in littore *Stygis*. Propterea magnam sepulturae curam habebant veteres. Ex flumine *Lethe* oblivionem superioris vitae bibunt. Introitum *Orci* custodit *Cerberus*, horribile monstrum, triceps et serpentibus circumvolutum. Adsunt in *Orco* etiam *Furiae*, quae malos homines excruciant. Vocantur *Alecto*, *Tisiphone*, *Maegaera*. *Crinibus* eorum serpentes involuti sunt. Manu facem ardentem gerunt. Significant hominis conscientiam, quae maleficos excruciat. Commemorandae etiam sunt *Parcae*, quae fati hominum praesunt. Vocantur *Clotho*, *Lachesis* et *Atropos*. *Lachesis* colum tenet, *Clotho* filum vitae ducit, *Atropos* filum abrumpit.

15. Janus, anni deus, foribus coeli praeesse dicebatur. Hinc etiam foribus in terra praest, quae ab eo januae dicuntur. Mensis quoque Ianuarius, qui annum aperit, de Jano dictus est. Hic primus homines sacrorum ritus docuisse dicitur. Fuerat autem Janus antiquus Italiae Rex, qui vini usum Italos docuit. Statua ejus erat bifrons; ita ut et praeterita et futura spectare videretur. Clavem et virgam manu tenet, quia janitor coeli est. Templum ejus belli tempore patebat, pace facta claudebatur, quod intra annos 724 ter tantum Romae accidit.

16. Saturnus, temporis in genere deus, fuit Coeli et Telluris filius. Liberos, quos ei pariebat Rhea, devoravit. Sed pro Jove datus ei est lapis. Postea a Jove regno pulsus ad Janum in Italiam confugit, et ibi latuit, unde ea regio Latium est dicta. A Jano in societatem regni adscitus homines agrestes ad mores humaniores perduxit, unde eo regnante aurea aetas floruisse dicitur. Pingitur Saturnus ut senex decrepitus, falcem manu tenens, vel etiam aliquando anguem caudam sibi mordentem: aliquando denique infantem devorans. Saturnalia in ejus honorem celebrabantur mense Decembri per septem dies, maxima laetitia. Tum munera inter se mittebant Romani. Servis tum licebat cum dominis ludere et joculari, iisque ad mensam accumbentibus ministrabant domini, ad significandam auream aetatem, qua omnes homines ejusdem conditionis fuerunt.

17. Uxor Saturni erat Rhea. Eadem vocatur Mater Deorum, et Cybele. Colebatur praecipue in montibus Phrygiae. Pingebatur coronam turritam gestans, clavem tenens, curruque insidens a leonibus tracto. In ejus sacris tympanis et cymbalis utebantur sacerdotes. Ex arboribus ei sacra erat pinus.

18. Bacchus erat vini Deus. Pingebatur adolescens comatus, formosus et nudus; saepe etiam cornutus, hedera coronatus, et manu gestans thyrsus, hoc est, hastam hede-

ra vel pampinis circumvolutam. Currus ejus a tigribus, vel leonibus trahitur. Comites Bacchi erant Nymphae, Satyri capripedes, et Silenus, qui olim praeceptor ejus fuerat: tum mulieres ebriae et furentes, quae Bacchae et Maenades dicuntur. Immolabatur ei hircus, quod animal vitibus nocere solet.

19. Genius erat naturae deus. Credebant veteres, unicuique homini esse suum genium, qui eum tueretur. Itaque jurare solebant per genium suum; servi jurabant per genium domini, et omnes cives Romani amissa libertate per genium principis. Multi duos genios, alterum bonum, alterum malum hominibus adesse credebant. Sacra genio fiebant natali cujusque die floribus et vino, unguentis, ture, nunquam autem sanguine.

20. Praeter hos deos colebant veteres multos alios, quibus, minor dignitas erat. Talis e. g. est Pan, pastorum deus; Sylvanus, sylvarum et ruris praeses; Pomona, pomorum dea; Terminus, qui agrorum fines tuebatur, et lapidis quadrati specie colebatur. Multi praeterea Heroës propter merita et virtutes inter Deos relati sunt, e. g. Hercules, fortissimus antiquitatis heros; Castor et Pollux; Esculapius, medicorum deus; Quirinus, quo nomine Romulus, Romae conditor, colebatur. Imperatores etiam a Romanis inter deos referri solebant; nec ipsi solum, sed etiam eorum uxores, filiae, sorores. Tandem etiam virtutes, affectiones animi, et similia a Graecis Romanisque colebantur. E. g. Virtus et Honor duas aedes habuerunt extra urbem ita positas, ut per aedem virtutis ad aedem honoris aditus esset. Sic porro templum habebat Pietas, Fides, Spes, Pudicitia, Concordia, Pax, Felicitas, Libertas. Ipsa etiam urbs Roma pro dea habitata est. Huc refer etiam Fortunam, quae pingitur in globo vel in rota stans, alata, et navis gubernaculum tenens. Denique et res quaedam noxiae divino honore sunt cultae: Febris e. g. tria Romae habuit templa.

21. De omnibus his Diis multae narrantur fabulae, quarum congeries vocatur Mythologia. Jam vero desinamus Deoque gratias agamus, quod veriore cognitionem nobis largitus sit.







